DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,

SISTENS

HISTORIAM CRITICAM AETIOLOGIAE SCABIEI, HUJUS MORBI ORIGINEM AB ACARIS REPETENTIS,

auctore

TJEPKE ULBES NOORDENBOS.

DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS.

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,

SISTENS

HISTORIAM CRITICAM AETIOLOGIAE SCABIEI, HUJUS MORBI ORIGINEM AB ACARIS REPETENTIS,

QUAM,

Favente Summo Numine,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII STAR NUMAN,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET J. U. DOCTORIS
IN FACULT. JUR. PROF. ORDIN.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO FACULTATIS EXAMINI OFFERT

TJEPKE ULBES NOORDENBOS,

ex pago Oudkerk-Frisius.

AD DIEM XVIII DEC., CIↃIↃCCCXXXIX. HORA XI.

GRONINGAE,
Apud Viduam M. VAN HEIJNINGEN BOSCH et FILIUM.

. . . . . In cunctis certas inquirere causas difficile est . . . . .

Fracastorii *Syphil.* L. I.

PATRI OPTIMO CARISSIMO

SACRUM.

PRAEFATIO.

Ad summos in Medicina honores rite consequendos, cum lex jubeat, ut profectuum specimen aliquod detur, diu me dubium de ejus argumento fuisse lubenter fateor. Suadente tamen Viro Clarissimo S. E. STRATINGH, *tandem agere constitui de scabiei Aetiologia, hunc morbum ab Acaris repetente, historice inprimis et critice considerata.*

Hoc argumentum vero sat grave pertractare vetuisset mearum virium tenuitas, nisi, praeter consilium Praeceptoris aestumatissimi, etiam auxilium mihi praebuisset Vir Doct. G. ACKER STRATINGH *in hac materie rite elaboranda. Pro quo eximio favore, nunc Academiam valedicturus, primas et summas, quas habeo, gratias referre laetor.*

Vos etiam omnes, quotquot in variis disciplinis, inprimis medicis, gaudeo habuisse Praeceptores, Viri Clarissimi! pro vestra institutione egregia et benevolentia insigni, quibus me ornavisti, gratissimum testificor animum.

Nec vos appellare omitto Commilitones et Amici, praesertim conjunctissimi! quibuscum hac in Musarum sede vitam suavissimam vixi. Valete! Res vestras prospere peragite, amicitiae nostrae memores!

Vos denique Praeceptores! et Amici! diu incolumes servet D. O. M. ex intimo pectore precor.

DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS,

SISTENS

HISTORIAM CRITICAM AETIOLOGIAE SCABIEI, HUJUS MORBI ORIGINEM AB ACARIS REPETENTIS.

Inter morbos, de quorum origine adhuc lis est inter Medicos quique hosce denuo valde recentioribus temporibus occupaverunt, nominanda est Scabies. Variae et diversae omnino fuerunt opiniones de natura et causa hujus exanthematis chronici, satis singularis. Fontem suum quaesiverunt in peculiari humorum, sanguinis aut lymphae acrimonia aliave depravatione, secundum variam de morborum ex humoribus corruptis origine theoriam, quae, praeeunte GALENO, tamdiu in Medicina viguit. Ipse GALENUS pro sca-

biei causa humorem melancholicum habuit; AVICENNA humorum acrem et calidam indolem, SYLVIUS acidam, alii alcalinam; HELMONTIUS fermentum quoddum etc. Nec recentiores a simili opinione abhorruerunt, cum in scabie dyscrasiam peculiarem, aeque ac herpeticam, scorbuticam etc., assumerent, aut illam degenerationi bilis tribuerent; imo, ut plura taceam, inter HAHNEMANNI absurditates famam non mediocrem adepta est sua opinio, maximam partem morborum naturae esse psoricae. Plurimi tamen Medici, natura magis et ratione sana ducti, hanc amplexi sunt sententiam verisimiliorem, scabiem esse cutis morbum localem, saltem initio, contagione seu viru peculiari incognito productum, etsi etiam quandoque sponte sua nasci possit ex immunditia aliave hujusmodi causa favente, quin et ex causa interna generali et critica ratione prodire nec non redire queat. Huic et omnibus omnino opposita tandem haec est opinio, quam non pauci foverunt et adhuc fovent, causam scilicet scabiei quaerendam esse in Acaro quodam, qui epidermidi se introducens, ibi pustulas aliaque symptomata scabiei propria crearet, et *Acarus scabiei* vulgo nominatus est, recentius vero distinctius *Sarcoptes hominis*. Hi scabiei translationem non per contagionem explicant,

sed illam modo hujus insecti ope nasci et propagari autumant, adeo ut, Acaris necatis, scabies etiam sanaretur; negant porro omnem scabiei originem internam et criticam suamque repulsionem, etsi intersint, qui mediam viam tutiorem habentes, opinantur, illud insectum quidem, sed non semper esse causam scabiei.

Haec quaestio itaque non solum per se examine digna, sed momenti etiam omnino plena est ad dijudicandam et stabiliendam scabiei aptissimam curam. Si haec enim modo sit vitium cutis, tuto, imo quam citius eo melius, ita ratiocinantur, externis remediis sananda est, sin vero non, at quoque interna et critica ratione produci, quin repelli possit, talis sanandi methodus non semper prudentissima est, sed una interna etiam conducit aut postulatur.

Non incongruum ideo Dissertationis argumentum videri potest, hujus quaestionis, quae sortem satis ancipitem habuit, tradere historiam criticam. Illa jam eo redit, ut, sin nondum decerni possit, tamen conspectus talis argumentorum, quae pro et contra hanc Aetiologiam adduxerunt auctores, utilis censenda sit, ut certiores reddamur, quid revera hac de re jam cogitandum sit.

Primus Acari in scabie obvii mentionem fecisse

dicitur AVENZOAR seu ABENZOAR, Medicus Arabus saeculi 12mi, hisce verbis: »Quod est" inquit »de »Assoab, qui latine dicuntur pediscelli, oriuntur »aliquando in corpore sub cute exterius pediculi »parvunculi, qui cum excoriatur cutis exeunt ani-»malcula viva, tam parvuncula, quae vix pos-»sint videri. Et cura hujus est purgare corpus »cum semine Chartami et Urticae" etc. 1). Haec verba AVENZOARIS saltem ansam dedisse videntur, ut postea in hoc insectum ulterius inquirerent Physici. Ita INGRASSIAS Neapolitanus, GABUCINUS et LAURENCE JOUBERT aliique scriptores aevi 15mi et 16mi illud memoraverunt, teste MOUFETO, qui Acarum scabiei dein inprimis accuratius observavit. Ast J. C. SCALIGER

---

1) Opus AVENZOARIS, ubi haec leguntur, inscribitur: *Crier dahalmodana vahaltadabir* i. e. *Rectificatio medicationis et regiminis; edit. in Arabicon a perfecto Viro* ABUMAR NAN AVENZOHAR etc., Venet. 1497, Tract. 7, Lib. 19, p. 29, aut 1549, p. 34. Cf. WALZ in *Salzb. Med. Chir. Zeit.* 1805, no. 31, p. 92, seq. Sunt vero, qui dubitant, an AVENZOAR quidem jam Acarum scabiei cognoverit, uti Doct. SPRENGEL in nota ad versionem istius operis. Auctores AVENZOAREM citantes, hunc saeculo 12mo scripsisse vulgo afferunt, et recte quidem videtur, etsi W. BLACH, *Entwurf einer geschichte der Arzneiwissensch. übers. von* SCHERF S. 212, annum 980 statuenti, consentire videatur Dr. B. RITTER in Comm. de scabie, in *Journ. der Chirurg. und Augenheilkunde von* GRÄFE *und* WALTHER, B. XXVII, s. 550 Not. XX. L. CHOULANT, *Handb. der Bücherkunde für die ältere Medicin* etc., Leipz. 1828 s. 173 illum anno 1161 diem supremum obiisse notat.

jam prius in epistola ad CARDANUM anno 1557 2) indicavit, animalculum hoc minutissimum globosum, quod a Padanis *Pedicello*, a Turinis *Scirro*, a Gasconiae incolis *Brigant* et alias *Croton*, *Cica*, *Cynoraistes*, *Plata*, *Caeca*, *Cicy* vocabatur, sub epidermide degere, ita ut per cuniculos, quos fodit, quasi urat; acu extractum et ungui impositum moveri, inprimis si solis radiis exponatur; inter ungues compressum levem edere crepitum et materiem virulentam aquosam; immunditia oriri et in barba, axillis et inguine sedem habere. ALDROVANDUS 3) haec affirmare videtur, eadem fere repetendo. Cum autem aevo 17mo medio microscopia emendari coeperint, denuo Acarus scabiei examini accuratiori subjecerunt naturae scrutatores. Inter hosce jam dictus THOMAS MOUFET, Anglicus, insectorum historiam naturalem inquirens, hoc etiam insectum magis illustravit et medicos ad illud attentos reddidit, in suo primum anno 1634 edito *Theatro Insectorum* 4). Secundum hunc auctorem:

---

2) *Exoticar. observat.* L XV, *de subtilitate ad* CARDANUM, Edit. alt. Francof. 1592, p. 631.

3) *De Animal. Insect.* L. VII, l. V, cap. 4, Francof. 1623, p. 215.

4) TH. MOUFET *Insectorum Theatrum*, Lond. 1634, Cap. 23; *de Syronibus, acaris tineisque animalium*, p. 266.

»Syro est animalculum minutissimum, solens innasci caseo et cerae inveteratis, et cuti item humanae; tales in scabie vulgus acu extrahit; Germani *Seuren* illos vocant et hoc *Seurengraben*..... Ita sub cute habitat, ut actis cuniculis pruritum maximum locis ingeneret praecipue manibus; extractus acu et super ungue positus movet se, si solis etiam calore adjuvetur. Hoc obiter observandum, Syrones istos non in ipsis pustulis, sed prope habitare. Humore aqueo in pustula absumpto vel exsiccato, brevi omnes intereunt. Neque Syrones isti sunt de pediculorum genere, nam illi extra cutem vivunt hi vero non." Nullam effigiem hujus insecti praebuit MOUFET, uti aliorum, quae descripsit, forsan propter defectum boni microscopii. — AUG. HAUPTMANN in literis, anno 1650 KIRCHERO missis, hunc rogavit, num animalcula, quae KIRCHERUS in bubonibus pestis se observasse putabat 5), similia essent, ac ipse ex scabie extraxerat et Acari seu Cyrones, Germanice *Rietliesen* nuncupabantur; addit se hosce oculo armato examinavisse et sibi videri cum insectis convenire, quae caseo vetusto innasci solent et *Mölben* nominan-

5) *Scrut. Pestis*, L. I, C. 7.

tur. Primus hunc Acarum scabiei depinxit, instructum sex pedibus et quatuor hamis 6). Anno 1660 HAFENREFFER 7) etiam mentionem fecit Acari scabiei, quem pediculum vocabat; solum vero ex scriptoribus, qui praecesserunt, inprimis MOUFETO hausisse videtur, quae de hoc affert. Alia animalculi effigies reperitur in *Actis Eruditorum* anni 1682, cum brevi annotatione ab ETTMULLERO seniori, ni fallor, communicata 8). Quamvis etiam ad naturam depicta, valde tamen deformis est, ita ut RASPAIL, cui notitiam accuratissimam hujus insecti debemus, hanc effigiem nominet: »Une ébauche, ou plutôt la carricature de l' insecte de la Gale" 9).

---

6) A. HAUPTMANN, *Uralter Wolkensteinischer warmer Bad- und Wasserschatz*, Leipz. 1657, s. 200.

7) *Nosodochium cutis affectus*, Ulm. 1660, p. 77.

8) „Colore sunt albicante et pedibus exceptis, qui propius intuenti „nigricare videntur. Pedibus sex instructi sunt, binis utrinque mox „juxta caput positis, quibus, talparum ritu, cuniculos agere et oblon„gos non raro quasi sulcos trahere, simulque molestissimum prurі„tum excitare videntur. Num dorsum sit squamosum seu squamis „coopertum, prout quidem affirmat D. ROHAULTUS, definire nolumus, „illo praestantiore dubio procul microscopio instructo. Mirum de „caetero est quantas molestias tam pusillum animal homini excitare „queat." *Acta Erudit.* an. 1682, p. 317; tab. 17, fig. EEE.

9) *Mémoire comparatif sur l' histoire naturelle de l' insecte de la Gale* par F. V. RASPAIL, Paris 1834, in *Bulletin général de Thérapeutique*, 15 Sept. 1834.

Porro D. LUDOVICI egit de Varis, *Acaris*, *Syronibusqus* 10), et BORELLI Syrones observavit, quos testudinum effigiem repraesentare affirmat 11).

Hae vero observationes nondum opinioni ansam dederunt, hoc insectum esse causam scabiei. Talem primus fovuit JOH. COSMUS BONOMO Medicus insignis Liburnensis, nisi potius HYACINTHUS CESTONI, naturae curiosus et pharmaceuticus ejusdem civitatis peritissimus — quidquid sit, BONOMO hanc cum observationibus, ab utroque, ut ex illis patet, factas, primus communicavit cum Medico et naturae scrutatore celebri Italico FRANCESCO REDI anno 1687 (non 1683, uti alii habent), qui hasce literas Florentiae edidit 12), dum ulterius in variis operibus publicatae et a variis auctoribus de scabie traditae sunt 13). Ita

---

10) In *Miscell. Acad. Nat. Curios.* Dec. I, Ao. 9 et 10, 1678 et 1679, p. 109.

11) BORELLI *Observ.* in VELSCHII *Exercit. de Vena Medin.* cit. apud MORGAGNI, *de causis et sedibus morb. Epist.* LV, no. 4.

12) Sub titulo: *Osservazioni intorno a pellicelli del corpo umano dal* G. C. BONOMO, *e da lui con altre osservazioni scritte in una lettera all* FR. REDI, Fiorenza 1687.

13) Prostat nempe epistola, quam BONOMO scripsit, a J. LANZONI in latinam linguam translata, in *Miscell. Nat. Curios.* 1692, Dec. II, Ao. 10, App. p. 33. Doct. R. MEAD hanc contractiore forma Anglico sermone tradidit, opinionem hic defensam amplexus, in *Philos. Transact.* V. XXIII, 1702, 3 No. 283, p. 1296, dum etiam sermone Gallico in *Collection Académique* T. V, p. 574 est inserta. CESTONI

BONOMO, secundum suarum literarum versionem latinam a LANZONI datam, ad REDI de insecto scabiei scripsit: »....Casu fortuitove se mihi legendum »obtulit in celebri *Vocabolario dell' Academia* »*della Crusca* ab hujus Compilatoribus asseri Te»redinem, qua utplurimum scabie infectorum cu»tis scatet, in perexiguis, ac minutulis animalculis »consistere; Ecce ipsissima Vocabularii verba: *Pel*»*licello è un piccolissimo Bacolino, il quale si* »*genera à Rognosi in pelle in pelle, e rodendo* »*cagiona un acutissimo pizzicore.* Idem sentire »postmodum observavi Joseph. Laurentium in sua »Amalthea, dum scripsit: *Acarus. Teredo. Vermi*»*culus exiguus subcutaneus rodens, Pidicello.* Et »*Lit. T. Teredo. Vermis in ligno nascens. Ca*»*ries. Item Acarus rodens sub cute; Pidicello.* »His itaque sic lectitatis, iterata, sedulaque experi»entia scrutandi prurigine tactus sum, an dictae

---

literas, a BONOMO scriptas, tamquam suas vindicavit et de integro anno 1710 VALLISNIERI misit, quemadmodum prostant in altera edit. *Oper.* F. REDI, Ven. 1712, T. I, App. p. 14, sub titulo: *Osservazioni intorno a pedicelli del corpo umano, insieme con altre nuove osservazioni.* Vid. etiam *Opere di* F. REDI, Neap. 1778. — Multi praeterea Auctores, qui de nostra quaestione egerunt, hasce literas magis minusve communicaverunt, uti GRAS, FOURNIER, RITTER, qui vero cum non cuivis praesto sint, literas, lectu dignissimas, hic etiam repetere non supervacaneum duxi.

» Teredines animalcula vere sint, serioque consului
» eruditiss. Hyacinthum Cestonium, ejus in experi-
» endo probatae sedulitatis, quae multo ante tibi
» Vir. Clar. innotuit. Multoties ergo observasse mihi
» constanter asseveravit, Mulierculas propriis e scabio-
» sis filiolis acus extremitate nescio quid educere, quod
» in laevae manus pollicis ungue, alterius manus
» pollicis ungue compressum, in ipsa compressione
» aliquem parvum sonum facere videtur, hoc autem
» educi e minutioribus tuberculis scabiosis, perfecta
» nondum sanie scatentibus, vel ut vocitant immatu-
» ris; mutua quod itidem charitate inter remiges, et
» mancipia Balnei Liburnensis, si scabies infestaret,
» fieri adnotavit. Inde subdidit non sibi tamen certo
» constare, an Teredines e Vermiculorum censu fo-
» rent, prompte tamen de eo certiorem se reddendi
» occasionem daturam, multis experimentis in scabi-
» oso quodam, quo autopsia infallibili in affirmati-
» vam, vel negativam partem declinandum docere-
» mur. Nec scabiosum comperire fuit difficile, qui
» interrogatus, ubi acrius, validiusve cutim sibi
» prurire persentisceret, eruptiones multas cuta-
» neas, pustulasque minutulas nondum saniosas ex-
» hibuit, quas vulgus appellitat *Bollicelle acqua-*
» *iuole.* Acutissimae ergo acus unam ex his pus-

» tulis acie aggressus exprimendo aquei quidpiam
» cum eduxissem, forte eduxi una minutissimum glo
» bulum albicantis coloris vix vix lynceo obtutu con-
» spicuum, qui microscopio observatus certo certius
» vermiculus esse deprehensus est, Testudinibus ali-
» qua ex parte consimilis, colore candicans, fusci
» aliquid in dorso umbratilisque ostentans, una cum
» aliquibus radiis, pilisque oblongulis, sex pedibus
» vivax, ad motumque agilissimus, capite acuto, cor-
» niculis duobus, aut antennulis in extremo instructus,
» cujus icon exhibetur. *Fig.* I et III.

» Sed neque hocce primum conspecto credulitas
» nostra acquievit, sed compluribus, aliisque ingemi-
» natis, variis in subjectis scabiosis, aetate ac tem-
» perie diversis, sexu nec non et anni tempore non
» unisono, experimentis Teredinum eadem sese no-
» bis semper obtulit configuratio, adeo ut hac do-
» nata animalcula in omnibus fere (fere, inquam,
» quod, ne verum diffitear, in aliquibus comperire
» non fuit possibile) aqueis exanthematibus inesse
» microscopio juvante deprehenderem.

» Haec ipsa quamtumvis in externa humani cor-
» poris superficie conspicere difficilimum extet, adeo
» minuta dum sunt, sed et cuticulae concolores,
» multoties tamen exterius per corporis superficiem

» gradientes vidimus, et in articulationibus praeser-
» tim, ac rugosis flexionibus cutisque minutis plicis,
» ubi capitis acie primum se insinuare aggrediuntur,
» et adeo, ac in tantum fodiendo, et se extorquen-
» do, molestissimum sic pruritum excitantes, pergunt
» donec se penitus in cuticulam subinserant. Sub
» hoc haud difficili negotio videre fuit quas exiguas
» semitas a loco in alium rodendo, ac edendo inscul-
» pant, ut quandoque ex ipsis unum plura tubercula
» aquea concitet, quamquam et interdum duo, vel
» tria insimul, et plerumque sibi admodum proxima
» deprehenderimus.

» Anxie scrutabamur an hae Teredines ova da-
» rent, iteratisque multis, accuratisque perquisitio-
» nibus sors tandem votis annuit. Teredine nam-
» que microscopio subjecta, ut ejus icon elegantis-
» simo, Isaaci Colonnelli penicillo exprimeretur,
» hic ipse dum huic penso satisdat, a Teredinis pos-
» terioribus partibus exsilire conspexit minutissimum
» quoddam, ac invisibile pene ovulum, colore albi-
» cante, ferme pellucidum, figura oblongula nucle-
» um pineum referente, qualem exhibet *Figura* II
» et IV.

» Quo casu in spem ulterius erecti haec ova
» anxie denuo perquisivimus, multaque alia diver-

» sis assecuti fuimus temporibus, verum sub mi- » croscopio nasci nunquam post haec pari felicitate » videre potuimus.

» Ab his ovis, Clarissime Redi! affirmari posse » mihi videtur gigni Teredines, generatione cum cae- » teris omnibus Animalium generibus univoca, per » masculum nempe, ac per foeminam, quamvis ne- » que amico Cestonio, neque mihi ipsi sexus dis- » paritatem testata in dictis Teredinibus figura dif- » ferens se obtulerit, quod discrimen forte casus » exhibebit aliquando, vel minuta magis observati- « one prodibit, aut exquisito magis reservatur » microscopio . . . . .

» Antedictis rite, et citra livorem pensitatis, in » dubium revocari possent quae a Medicinae Autho- » ribus de scabiei causis recensentur. — Seu joco » duxeris, seu, quod facilius, serio nunc jam ad » id credendum propensus sum, scabiem, cutaneam » nempe, ac qui contactu communicare solet mor- » bum, nil aliud esse, quam morsum, seu conti- » nuam, et pruriginosam in nostrorum corporum » cute a memoratis vermiculis inflictam erosionem. » Unde per minimos ipsius cutis hiatus aliqua seri » seu lymphae portione transsudante pustulae exci- » tantur aquosae, intra quas solitam prosequentibus

»erosionem vermiculis, se scabere tenentur homi-
»nes, quo in actu cum pruritus iis irritatis pro-
»cedat, molestum facinus prosequuntur, nec so-
»lummodo aqueas pustulas perrumpunt, verum et
»cutem ipsam, et vasculum aliquod minutissimum
»sanguineum, unde postea exanthemata oriuntur,
»crustosae deglubrationes, et his similia taedia.

»Ex hucusque dictis, Exercitatiss. Redi! non
»omnino mihi videretur impossibile captu, cur
»scabiosa labes tam faciliter contagio propagetur.
»Teredines siquidem solo simplicique unius corpo-
»ris cum alio contactu ex uno in aliud corpusculum
»possunt commigrare facili negotio, adeo mira haec
»velocitate donantur molestissima insectula, quae
»non singula semper sub cuticula nidulantur, at-
»que in cuniculis et cutaneis semitis delitescunt,
»sed non desunt ex iis, quae extimam inhabitent
»corporis superficiem, cuticulae ipsi insidentia,
»parata promptaque, quo cuivis, quod illis acce-
»dat, adhaerescant, et sicubi numero pauca sedem
»fixisse sit datum, mire ovorum beneficio, quae
»ibidem deponunt, numero in immensum excres-
»cunt. Non itaque mirum omnino, si per scabio-
»sorum sudaria, lintea, mappulas chirothecas, his-
»que similia, quae Psora vexatis in usu fuerint,

» scabies ipsa prolifica communicatione propagetur,
» sat enim fuerit, si recensitis Teredo aliqua semel
» adhaeserit; revera siquidem oculari saepius expe-
» rimento didici, Teredines duobus aut etiam tribus
» diebus extra corpora nostra vitalitate donari.

» Sed neque captu difficile mihi videretur, cur
» scabies lixivialibus curetur lotionibus, balneis, in-
» unctionibusque e salibus, sulphure, vitriolis, hy-
» drargiriis, praecipitato, ac sublimato, aliisque hu-
» jus generis indolem nactis corrosivam, ac pene-
» trantem, utpote quae infallibiliter enecare valeant
» Teredines, etiam in intimioribus suis cuniculis ni-
» dulantes, vel per cutaneas ambages divagantes;
» quod scalpendo nunquam scabiosus assequi poterit,
» quantumvis non raro excorietur cutis ipsa non le-
» viter, tam dura namque vestiuntur pelle Teredi-
» nes, ut non ita levi negotio oblaedi valeant, acce-
» dente insuper earundem perexigua mole, quo mi-
» nus scalpentium unguibus dilacerentur. Pari pacto
» a tot interne assumptis, Medicorum ex praescrip-
» to Pharmacis haud divexantur, cum post oretenus
» longo tempore usurpata remedia necesse sit tan-
» dem, si tam contumacis molestae affectionis omni-
» modam curationem assequi velint scabiosi, ut tan-
» dem tanquam ad sacram anchoram ad recensitas

» inunctiones confugiant. Quod si in Praxi contin-
» gere saepe saepius videmus, ut qui scabiem lini-
» mento eradicasse visus, vix decem, duodecimque
» diebus sanus, quaqua vorsum denuo contumacem
» hostem reflorescere conspiciat, non omnino id mi-
» randum, unguento namque viventes Teredines
» extinctas fuisse contigerit, non autem ova in cu-
» taneis, ut ita dicam, nidis deposita, ubi eorum
» culpa renascitur repubescitque morbus, corrupisse,
» ac penitus pessundasse judicandum; Prudenter id-
» circo aliquot diebus, etsi se liberos dignoscant,
» ultra consultum in linimentis aliqui perseverant,
» quod eo facilius exequi valent, cum Unguenta cuti
» illinenda delicatule, et grato odore possunt com-
» poni, cujus generis ea quae e Manteca lutea, e flo-
» ribus Mali Aurantii vel Rosarum rubrarum, cum
» convenienti particula Mercurii praecipitati rubri
» mixta parantur."

Inter observationes alias adjectas, BONOMO etiam descripsit et delineavit Acarum (Fig. XIII et XIV), quem in caseo vetusto aliisque condimentis invenit. — Hae icones, inquit RASPAIL, non sunt pulchrae; sed multo magis distinctae, ita ut, non obstantibus suis vitiis, observationem magis sedulam testentur 14). Id

14) Op. Cit. p. 10.

etiam de hisce observationibus dicendum meretur, praecipua jam argumenta in iis exponi, quae pro hac aetiologia scabiei postea allata sunt.

Eodem fere tempore ac BONOMO, nempe anno 1691, BONANI 15) etiam descripsit et depinxit insectum, quod a Patre BALDIGIANI acceperat, qui illud invenerat in parvo tumore in facie alumni Collegii Societatis Jesu Romae. Effigies hujus insecti omnino similis est illi a BONOMO datae 16).

Jam etiam aevo 18mo plurimi Medici Germani hisce observationibus excitabantur ad tales repetendas et probandas. Anno 1722 RIVINUS 17) ex hac re Dissertationis argumentum sumsit et scabiei pruritum ab Acaris oriri, verum magis ratiocinando quam observando, demonstrare conatus est; — quin STENZEL 18), anno sequente, in sua Dissertatione pronunci-

---

15) *Observat. circa viventia*, Romae 1691.

16) Et hoc est forsan ratio, quare WICHMANN (*Aetiologie der Krätze*, Hanov. 1791, s. 26) dixerit, BONANI modo figuram a BONOMO exhibitam reddidisse; in eo hoc assertum veritati convenit, in *Monographia curiosa*, quae supra allatis verbis BONANI est addita, sub Fig. 112, figuras a BONOMO, et sub Fig. 113, illas in *Actis Eruditorum* proditas, repetitas esse.

17) *Dissert. de pruritu exanthematum ab Acaris*, Lips. 1722.

18) *Dissert. de rite perquirenda morborum origine*. Wittemb. 1723, p. 56.

are non dubitavit, scabiem oriri ab his insectis. M. E. ETTMÜLLER quoque haec oculo armato conspexisse et depinxisse, (quo vero opere, me latet) plures testantur, uti JOANNES STORCH 19), qui ipse Acaros e pustulis scabiei extraxisse et inde scabiem oriri aut propagari contendit. »Cirones" inquit »Cyrones, Sirones, Acari, Reitliesen sind kleine runde, weisse und durchsichtige Würmchen, »welche in der Krätze durch juckenden Schmerz »denen Kindern vielen Verdruss erwecken, auch von »der Beschaffenheit sind, dass sie einen Anfang zur »Krätze machen, oder dieselbe unterhalten können. »Sie haben gemeiniglich ihren Sitz in den Linien »derer Hände und Füsse unter der Haut, werden »vor einer Art Läuse gehalten, kriechen unter der »Haut fort, kurz hinter sich haben sie ein helles »Serum, hinter dem Sero aber eine etwas breitere »Krätzblatter: Augen, von denen man sagen kann, »dass sie scharfsehend seyn, können dieselbige, »ob sie gleich nicht grösser als ein kleines Pünktchen »sind, vor dem hellen Liquore erkennen, uud ich »kann mich gar wohl erinneren, dass ich sie in

19) *Theoret. und Prakt. Abhandl. von Kinderkrankheiten*, Eisenach 1751, B. IV, pag. 151.

» meiner Jugend, sowohl an mir selbsten, als auch » an andern Kindern, mit leichter Mühe, vermit- » telst einer Nähnadel ausgegraben habe; sie hän- » gen sich an die Spitze der Nadel, von welcher sie » auf den Nagel des Daumens gesetzt und deutlich » gesehen, wie sie sich darauf beweget, und in » einem Circul herumgekrochen sind. Man kann an » ihnen ein schwarzes Stüpgen erblichen, welches » ETTMÜLLER am ende seines III T. p. 838, vor die » beyden vörderen Füsse hält: und eben belobter » ETTMÜLLER hat, nebst andern Medicis dieselbige » durch Microscopia gesehen, und ihre Figur p. 543 » dreyfach abgezeichnet."

Ad nos notitia hujus insecti pervenit icone, quam H. BAKER in suo opere de microscopii usu, in vernaculum sermonem translato 20), a BONOMO etiam depromsit, cum BAKER neque CANTON, microscopii usu tunc etiam insignis naturae indagator in Anglia, insectum ipsum detegere potuerint 21). Ceterum, quod satis mirum est, Entomologi adeo insignes, qui hoc tempore, vel in nostra Patria, floruerunt, LEEUWENHOEK, REAUMUR et SWAMMERDAM nullam hu-

20) *Het Mikroskoop gemakkelijk gemaakt*, Amst. 1760.

21) Teste HEBERDEN, *Comm. de morb. hist. et curat.*, Cap. 23.

jus insecti mentionem fecerunt et illud indagavisse non videntur; idque eo magis mirandum est de LEEUWENHOEKIO nostrate, cum Acari farinae habitum et vitae genus ad o exacte descripserit et delineaverit 22). An hi Viri haec animalcula sua attentione non digna censuerint, aut dexteritate caruerint illa inveniendi — aut horum silentium sit habendum pro indicio metus, quem foverent infectionis, et itaque argumento, se tacite huic theoriae scabiei annuisse, uti WICHMANN, strenuus hujus theoriae defensor 23), suspicatur — aut tandem, num rei ignari manserint, quia scabies in regionibus Europae borealibus minus generalior et vehementior est, quam in regionibus australibus, uti RASPAIL opinatur 24), Doct. RITTER non decerni posse merito putat 25).

Inter medicos alios Italicos, qui, medio hoc aevo, de hac re egerunt et originem scabiei ab Acaris repetierunt 26), adhuc nominandus est Cel. MOR-

---

22) *Arcana Naturae*, 1722, Epist. 177, p. 356.

23) Op. cit. s. 27.

24) Loco cit.

25) Comm. cit. s. 559.

26) Vid. JOSEPH PAPE, *Quaest. med. Dr.* JOS. VALENTI Catanensis, Catan. 1753, Quaest. 8, p. 47.

gagni. Quid de hac opinione judicet ex sequentibus suis verbis videre licet. Postquam de variis probabilibus scabiei ejusque pruritus causis disseruerit: »Verum" pergit 27) »ne forte credas, me plus »quam verum et aequum ferat, istis animalculis »adversari; primum fatebor, non modo saepius ab »illis scabiei originem esse agnoscendam, sed et ubi »minus illa esse, crederes, nonnunquam revera ex- »istere adeo facile ob suam exiguitatem latere pos- »sunt, cum ab uno in aliud corpus transferuntur! »Sic memini, cum in Patria medicinam facerem »illustri Matronae, eaque ab longo, vario, et per- »difficili morbo tandem convalesceret, ad alias quae »praecesserant, crises accedere scabiem visam esse, »quae repente orta, cito cutem propemodo universam »occupavit, sed palmas praesertim, ut prae molestissi- »mo pruritu dormire non posset. Cum vesiculas in iis »cernerem minutas aqua plenas, cujusmodi eae solent »esse in quibus ista animalcula nidulantur, ancillas jussi »earum unam aut alteram acicula aperire in praeclara »luce, et siquid globosi, expressa aqua, educere »possent, mihi ostendere, exquisitis, quae forte in »promptu erant, vitris instructo oculo, examina-

27) Op. cit. Epist. LV, 7, p. 335.

» turo. Quid quaeris? Oblatum examinare diutius » non opus fuit. Vivens erat animalculum, ea ipsa » forma quam Recentiores delineaverant. Tum aliud » atque aliud ademere, viventia omnia, et forma » eadem. Cum mulierum quae dominae inservierant, » nulla prorsus esset scabie affecta; Medicus qui ante » Redium, et Malpighium vixisset, e putredine orta » esse illa animalcula, non dubitasset: contra autem » mihi minime dubium fuit, quin ancillarum ali» qua alicunde aliquod, vestibus adhaerens, inscia » domum, ad heramque attulisset, idque alia, et » haec caetera, ut foecundissima sunt, brevi tempore » peperissent. Neque hoc tantummodo fateor. Sed » si forte velis, quod huic Matronae accidit, idem » omnibus qui scabie corripiuntur, accidere, unam» que hanc semper, cum scabies oritur, causam » esse; equidem ipse non facile credam etc." — Hic addi etiam meretur, quod Medicus quidam Hispanicus CASAL de hoc insecto notavit. » Insectum" inquit » sub epidermide nascitur: *arator* nominatur et jure merito, nam transfodit cutem inter corium et epidermidem, cuniculorum adinstar, et sulcum format, qui sat clara luce oculo inermi jam conspici potest. In Asturia non rari sunt homines, qui haec animalcula valde dextre extrahere sapi-

unt. Vitro polito illa exponunt, in quo deambulant 28)."

Nec LINNAEUS, magnus instaurator totius Historiae naturalis, illam hujus insecti illustrare neglexit — imo hujusmodi aetiologiae adeo indulsit, ut vel absurdae veterum opinioni suffragatus sit, scilicet non solum scabiem, sed et varios alios morbos, tam acutos, quam diuturnos, ab insectis repetendos esse. Ast haec theoria, quae pathologiae animatae nomen adepta est, jure merito pro tam absono ingenii luxuriantis fructu habita est, ut a nemine amplius defenderetur 29). LINNAEUS, anno 1757, Dissertationem scripsit de insecto scabiei, quod primum nomine *Acari humani subcutanei*, tum *A. scabiei* et denique *A. exulcerantis* distinxit 30). Etsi ille probabiliter hunc in finem modo usus sit iconibus a BONOMO traditis, perperam tamen ipsi imputaverunt DE GEER, GALÈS, RASPAIL etc., uti hujus auctoris translator Germanicus recte animadvertit 31),

---

28) *Récherches Médicales sur les Asturies*, 1762.

29) Refutavit illam Doct. JAEGER, *Specileg. de Pathologia animata*. Gött. 1775.

30) *Exanthemata viva*, Ups. 1757. Vid. etiam *Amoenit. Acad.* Vol. III, p. 333 et Vol. V. p. 95.

31) RASPAIL's *Naturgeschichte des Insekts der Krätze*, übers. von Prof. KUNZE, s. 3.

illum utrumque insectum scabiei et casei seu farinae (nam sunt eadem), quod BONOMO eadem tabula aeque vitiose delineaverat, pro varietatibus ejusdem speciei habuisse et conjunxisse. LINNAEUS quippe ita se exprimit 32). »In scabie ferina »acari aegrius inveniuntur, exemtos vero aliam »esse speciem (Acarum exulcerantem) et pedibus »4 posticis, corpore duplo longioribus distinctos, »oculis armatis evidentissime comprehendimus et sic »non est, quod de causa hujus quidam dubitet." Sic etiam alio loco scripsit 33): »multis morbis, uti scabiei, dysenteriae, tineae, phthisi talibusque peculiares Acarorum species adscribi;" et porro: »attamen differentiam dari inter Acaros casei, farinae aliosque." Auctor Diarii *London Medical Journal* suspicatur, confusionem, quae hac de re in LINNAEI operibus adesse videtur, ab opinione originem duxisse, quam ille fovisset, de duplici scabiei specie. A scabie enim, quam ab Acaro sirone sive Acaro farinae oriri autumat, cum dicat; scabiem excitari apud infantes in inguine et sub axilla, si nutrices illas partes, intertrigine affectas, farina conspergant, in

---

32) Dissert. cit. p. 37.

33) *System. Nat.* Edit. MÜLLERI, Norimb. 1775, p. 105.

qua Acari adsunt; — LINNAEUS distinguit scabiem ferinam seu contagiosam inveteratam et hanc ab alia specie Acari gigni credit, quam, uti solet, accurate descripsit, in *Fauna Suecica* 34), et sine dubio pro vero habet scabiei insecto. Hunc Acarum LINNAEUS nusquam confundit cum Acaro sirone, sed distincte pro diversa habet specie, et de hoc in suo *Systemate Naturae* dicit: Acarus exulcerans habitat in scabie ferina. — Ex hisce itaque sequi videtur, LINNAEUM cum veteribus duas posuisse formas scabiei, nempe leniorem et graviorem, quam *ferinam* per excellentiam nominavit; et porro insectum scabiei omnino cognovisse et recte distinxisse, quamvis, quod non negandum est, hicce Naturae scrutator eximius animalia insecta magis oculis inermibus, quam armatis indagaverit 35).

---

34) Sic: „Minimus, magnitudine vix lentis, subrotundus, capite „vix conspicuo, ore ut et pedibus rufis seu testaceis. Abdomen ova„tum, aquei coloris; in dorso duplici lineâ lunari, seu pari linearum „fuscarum recurvatarum notatus. — Habitat sub cute hominis, sca„biem caussans. Ubi vesiculam excitavit, parum recedit, corporis „rugas secutus; quiescit iterum et titillationem excitat. Nudis oculis „sub cuticulâ delitescens observatur ab adsueto. Acu facile exími„tur; ungui impositus, vix movetur; si vero oris calido halitu af„fletur, agile in ungue cursitat." *Fauna Suecica*, Lugd. Bat., 8vo, no. 1194, p. 347.

35) Vid. RITTER l. c. p. 559 s.

Eruditiss. Entomologus DE GEER hanc differentiam inter Acarum farinae seu casei et Acari scabiei probe animadvertit et ad naturam delineatas utriusque insecti effigies et descriptionem cum characteribus specificis praebuit 36). Exacte indicat, Acarum scabiei nullas antennas, sed duo brachiola articulata habere, quae cum brachiis aranearum conveniunt, nullis etiam antennis instructarum; dum SCHÄFER 37) illa antennas pediformes articulatas et LINNAEUS tentacula nominat. DE GEER primus quoque fuit, qui quaestionem de numero pedum diverso solvit, quamquam ipsi honos hujus inventi non sit proprius, cum LEEUWENHOEK (l. l.) jamdudum illud sciret. BONOMO scilicet perhibet, Acarum scabiei habere 6 pedes, alii etiam Acaros farinae 6 pedibus instructos

---

36) *Mémoires pour servir à l' histoire des Insectes*, Stockholm, 1778, T. VII, p. 92, pl. 5: „Dans les ulcéres produits par la gale „sur les mains et les autres parties du corps humain, on trouve de „très petits insectes du genre des mittes et qui n' ont pas été inconnus aux naturalistes. Ces mittes sont même la cause de cette vilaine maladie .... La mitte, ôtée de dessous l' épiderme, ne se „donne d' abord aucun mouvement, mais peu à peu elle commence „à rémuer les pattes et à se mouvoir, quoique assez lentement." Hisce characteribus specificis illum Acarum definit: „Acarus scabiei; subrotundus, albus; pedibus rufescentibus brevibus, posticis „quatuor setâ longissimâ; plantis quatuor anticis fistulatis capitulo terminatis."

37) *Elementa Entomologiae*, 1766, 4to, T. 14.

delineaverunt; GÖZE 38) contra memorat, se inter Acaros farinae nonnullos 6, Acaros vero casei semper 8 pedibus praeditos vidisse. DE GEER jam docuit, Acaros scabiei juniores, uti alios, modo 6 pollere pedibus, quarto pare dein accrescente. — PALLAS 39), ut id addam, Acarum scabiei, forte ne LINNAEO contradicere videretur, vocavit: »Acarum scabiei, Acaro ferinae consanguineum."

Interea cum Entomologi hoc insectum illustrarent et cum hisce nonnulli etiam Medici, uti PRINGLE 40), ROSENSTEIN 41), illud pro causa scabiei agnoscerent, plures tamen id magis minusve negabant, uti SAUVAGES 42), qui raro scabiem ab Acaro gigni credit et talem, seu peculiarem speciem, *scabiem vermicularem* nominavit; LORRY 43), Auctor articuli de scabie in *Encyclopedia* gallica, MURRAY 44),

38) *Abhandlungen aus der Insectologie*, s. 333.

39) *Diss. de infestis viventibus*, 1760, p. 2.

40) *On Diseases of the Army*, P. III, Ch. 5.

41) *Anweis. zur kenntniss. u. kur der Kinderkrankh.*, Gött. 1781.

42) *Nosologie Méthod.*, Amst. 1768, spec. II.

43) *De morbis cutaneis*, Par. 1777, p. 581.

44) *Opuscula*, Gött. 1786; *Obs. de Vermibus in lepra obviis*, no. 20, p. 358 et seq.: „In scabie acaros repertos fuisse, nemo qui „Linnaeum hujus rei testem esse novit, in dubium revocabit. Quamdo vero inquiritur an mali hujus causa sint, mihi probabile videtur „quod, antequam exanthemata in cute erumpant, corruptela quaedam „humorum vel labes solidorum, saltem in superficie corporis, semper

SCHMUCKER 45), BALDINGER 46), CRELL 47), JAEGER 48) aliique, qui insecta frustra inquisivisse perhibent.

Jam in fine hujus aevi (1786) Doct. J. E. WICHMANN Illustr. Medicus Hanoverensis de industria scripsit opus, ad aetiologiam scabiei ab Acaris probandam 49), quos in illa, ast solum in pustulis recentibus offendi confirmavit. Observationes suas communicavit cum mox allato naturae scrutatore Exercit. GÖZE, qui hasce comprobavit, imo ipsius

---

„praecedat; quae, si ad certum terminum pervenit, acaros in caseo, „sive in farina latentes (nam ejusdem speciei sunt) allicit, ut in cute „nidum quaerant, vel iisdem aditum faciliorem parat. Ingressis au„tem istis cutem, rosione sua et excretis liquidis malum eos pejus „reddere existimo. Observamus etiam muscas naturae instinctu eo „modo carnem invadere quae jam putrescere incipit. Sic vermes „qui in intestinis nidulantur non alias quam quibus peculiaris ad eos „recipiendos corporis constitutio est, vexant . . . . Accedit quod qui„dam inter scabiosos versantes nec admodum solerter contactum vi„tantes, immunes tamen ab infectione persistant." Videmus ex hisce, quomodo MURRAY, etiam a LINNAEO in errorem ductus, Acarum scabiei cum A. farinae seu casei confuderit et hoc errore alterum errorem fundaverit.

45) *Medizin. u. Chirurg. Wahrnemungen*, B. III, s. 24.

46) In *Programmate*, *exanthemata non oriri e vermibus*, etiam in GRÜNER *Diss. sel. Jeniens.*

47) *Contagium vivum.*

48) Diss. cit. p. 59 seq.

49) *Aetiologie der Krätze* etc. Hann. 1786. Edit. 2a 1791. Translatum est opus in *Esprit des Journaux*, 1787, Mai p. 353, sub titulo: „*Découvert du Nord*;" porro recensitum in *London Medic. Journ.* 1788, Vol. IX, P. I, p. 28 aliisque locis.

insecti ovula in pure scabiei, quod WICHMANN cum Acaris inventis ei miserat, detexisse autumavit. WICHMANN porro *Acarum exulcerantem* L., pro quo nomine illud *Acari humani* proposuit, descripsit et delineavit et, similibus satis argumentis ac BONOMO suffultus, pro causa scabiei agnovit, scilicet ob facilem contagionem, pruritum et exanthema calore auctum, contrarium effectum frigoris (cum illud Acaris faveret, hoc noceret), ob sanationem remediis externis etc. Non parum hoc opus nactum est celebritatis per totam Europam, adeo ut non solum in Germania, sed etiam extra multum legeretur et recenseretur et plurimis ansam dederit dissertationibus et disputationibus. Dubia contra WICHMANNI theoriam moverunt JONAS, VOLCKMANN, LEVI, HARTMANN, SELLE, GROSSMANN, SAGER, WEISE, STOLL, SCHERB, STARK, BACH, etc., dum, praeter auctorem ipsum in altera sui operis editione (1791), AMSTEIN, GULDENER VON LOBES aliique eam defenderunt 50). Entomologi vel principes jam vero

50) J. CHR. JONAS, *Dissert. Inaug. sistens quaedam dubia circa aetiologiam Wichmannianam scabiei*, Hall. 1787. C. A. VOLCKMANN, *Quaestiones Med. super Illustris Wichmanni Aetiologia scabiei*, Praes. P. J. HARTMANNO, Traj. ad Viadr. 1787. J. LEVI, *Dissert. de varia scabiei indole*, Gött. 1790. HARTMANN, *Dissert. sistens quaestiones super Wichmanni aetiologia scabiei*, 4to, Francof. 1789. SEL-

nequaquam dubitaverunt, insecto scabiei locum cedendum esse in suis systematibus et tribuendam causam scabiei, uti FABRICIUS, qui, inter alia argumenta, ex analogia cum gallis plantarum illud concludit 51), et Erud. LATREILLE, Acad. Paris. adscriptus, qui Acarum scabiei ad novum a se stabilitum genus *Sarcopten* retulit et *Sarcopten hominis* nominavit 52).

Ceterum hoc insectum, quod adeo primum in Italia et dein in Germania eruditos occupavit, indagare neglexerunt in Gallia, sive fortuna, sive dex-

---

LE, *Neue Beytrage zur Natur- und Arzneiwissenschaft*, T. III, s. 126. Conf. *Allg. Deutsche Biblioth.*, B. 73 et 74, 1787, St. 2, s. 351. *Göttingsche Anzeigen*, 1786, St. 91, et 1790, St. 87. *Jenaische Allgemeine Literaturzeitung*, 1786, St. 147. TODE, *Arzneikundige Annal.*, Heft 5. GROSSMANN, in BALDINGER's *Neue Magazin*, B, XI, s. 484. SAGER, ibid., B. XI, St. 4. WEISE, ibid., B. XVII, p. 549. AMSTEIN, *Beytrag zur Erörter. der Wichmannischen Theorie von der Krätze*, in *Museum der Heilkunde*, B. II. p. 20. SCHERB *sen.*, *über Dr.* AMSTEIN's *Beytrag zur Milbentheorie der Krätze*, ibid. B. II, p. 53. AMSTEIN, *über Dr.* SCHERB's *Einwendungen gegen die Milbentheorie von der Krätze*, Ibid. p. 61. A. MIEG, *Gedanken über die Wichmannische Krätzentheorie*, Ibid. p. 267. STOLL, *Vorles.* Wien. 1788. STARK, *Handb. zu Erkenn. innere Krankh. d. Mensch.* Th. I, p. 603—606, Jena 1799. BACH, *Grundzüge zu einer Pathologie der ansteckende Krankheit*, § 16. E. v. GULDENER VON LOBES, *Beobacht. über d. Krätze*, 2te Aufl. Prag. 1795.

51) „Causam, nec symptoma morbi esse evincunt observata cum „Gallis analogia, contagium, cura." *Entomologia systematica*, Brunsv. 1805, p. 358.

52) P. A. LATREILLE, *Genera Crustaceorum et Insectorum*, Par. 1806, T. I, p. 151, 152.

teritas observatoribus ibi non faveret, sive aliud quid obstaret; donec postquam res jam fere oblivioni tradi inciperet et ipsum insectum quaerentium oculos effugere videretur, de improviso illud se rursus detexisse declararet anno 1812 Med. studiosus J. C. GALÈS, cum, Pharmaceutici vices gerens in Nosocomio Parisiensi *St. Louis*, ibi sub auspiciis hujus Hospitii medici Clar. ALIBERT, de scabie observationes et experimenta institueret, quorum summam dein in Dissertatione publici juris fecit 53). GALÈS insectum a se inventum in pustulis scabiei monstravit, testibus et applaudentibus Viris celeberrimis Instituti Scientiarum et Facultatis medicae Paris., uti LEROUX, BOSC, OLIVIER, LATREILLE, DUMERIL, DEYEUX, PELLETAN, THILLAYE, DÈSORMEAUX, RICHERAND, ALI-

---

53) *Essay sur le diagnostic de la Gale, sur ses causes et sur les consequences médicales practiques à déduire sur les vraies notions de cette maladie*, Par. 1812. GALÈS, notante RASPAIL (Op. cit. p. 11), hanc materiem pro argumento Dissertationis elexisse per jocum dicitur, ob sui nominis similitudinem cum nomine morbi, seu voce *Gàle.* Ante GALÈS Doct. M. RANQUE originem scabiei ab insecto defendit, sed hoc non pro Sarcopte, verum pro Pediculo habendum esse asseruit et hinc remedium antipsoricum omnium optimum ventilavit decoctum sem. Staphisagriae cum opio. Cum mox vero hanc opinionem erroneam agnoverint et ipsum remedium non probabile, oleum et operam perdidit auctor. Vid. ipsius *Mémoire et observations cliniques sur un nouveau procédé pour la guérison de la Gale*, Par. 1811. Conf. judicium hujus opusculi in Dissert. Doct. GALÉS, p. 44 et in *Dict. de Scienc. Médic.*, T. XVII, p. 117.

BERT, DE LAPORTE, inprimis Clar. DUBOIS, qui primus ipsum hunc morbum indagare admonuerat. Sequenti modo insectum extrahebat et examinabat. Ope acuminis lanceolae exprimebat serum ex pustula et illud, in vitro horologii exigua aquae tepidae (24° *C.*) quantitate dilutum (cum in aqua frigida non tam cito animalculum se moveat, uti LINNAEUS et DE GEER jam observaverant), sub microscopio visui exposuit. Aeque ac BONOMO et WICHMANN, GALÈS observavit, Sarcopten inprimis inveniri in pustulis recentissimis, minimis, cum serum adhuc pellucidum contineant et pruritum acutiorem excitent. Videtur nimirum insectum evitare pustulas purulentas, unde illud non in omnibus scabiosis, nec omnibus pustulis a se perlustratis, sed potius paucioribus detexit. Attamen pluries in pustulis purulentis etiam offendit insectum, imo in crustis inde obortis, si adhuc humidae sint. Hae crustae in pulverem redactae referrent saepissime formam acervuli reliquiarum insectorum. Ita plures quam 300 sarcoptes observavisse testatur, omnes ejusdem formae, magnitudine vero et pedum numero diversas, cum alii haberent sex, alii octo pedes, quae differentia, uti jam constabat, pendet a minori majorive insecti incremento. Unicum insectum offendit novem pedibus instructum, et

hoc pro monstro habet. Etsi sexum distinguere non potuerit, tamen aderant, quae ventrem magis tumidum offerebant, quam alia. Illa pro feminis habebat, eo magis, quia non raro sub setis, quae parti corporis posticae adhaerent, corpuscula ovoidea et pellucida, forsan ovula, conspexerit.

Insectum, quod GALÈS detexit et delineare curavit, non exacte convenit, uti ipse fatetur, cum illo, quod BONOMO, ETTMÜLLER et DE GEER depinxerunt, sed omnino cum Acaro farinae, a DE GEER depicto; ab hoc tamen revera differre, probarent sua experimenta de insitione, cum utroque instituta; quare GALÈS differentiam inter iconem suam et illas aliorum explicare mavult, ponendo plures species insecti scabiei. Acarus enim farinae cuti humanae impositus, illam non penetrat, uti quidem cum Sarcopte locum habet, imo ita ut scabiem produceret, quemadmodum ipse secum expertus esset. GALÈS, antequam cubitum ibat, dorso manus, paullulum calefacto, plures Sarcoptes vivos sibi applicuit et hosce texit vitro horologii imposito. Tribus horis praeterlapsis expergefactus, ibi titillationem levem satis gratam sensit; mane pruritum insignem, et jam tres pustulae miliares parvae, characterem distinctum scabiei montrantes, aderant, quibus vero mox se liberavit, ulce-

ratione levi relicta, quam BOSC, OLIVIER, DUMÉRIL, LATREILLE et RICHERAND quoque naturae et originis psoricae esse agnoverunt. Tres infantes, narrante FOURNIER, eodem modo dein insiti, scabie mox corripiebantur et contactu cum tribus aliis sanis morbum communicaverunt, omnesque examinati sunt a Medicis, quotquot aderant, celeberrimis ex Gallia. Coram hisce GALÈS, postquam insitionem perfecerat, praesentibus Doct. DUCHANOIS, Nosocomiorum administratore et pluribus Medicis insignibus, Sarcoptes ex pustulis infantum extraxit. — Hisce aliisque experimentis GALÈS Sarcoptem omnino causam scabiei esse probavisse contendit, quod confirmaret facilis omnium ipsius symptomatum per hanc explicatio 54).

---

54) Vid., praeter Dissertationem Doct. GALÈS, Articulus de scabie in *Dict. des Sciences médic.*, T. XVII, p. 177, Auctore Doct. FOURNIER, qui hasce observationes, vel a se repetitas, et conclusionem hisce stabilitam de causa scabiei ample exposuit et insigni praeconio approbavit, additis iconibus Sarcoptis adulti et juniorum, a GALÈS secum communicatis, una cum iconibus Sarcoptum ovis, felis et equi, quas ab Erud. BOSC acceperat, qui, uti et HUZARD, LATREILLE, GEOFFROY DE SAINT HILAIRE, DUMÉRIL et WALZ, Acaros accuratius indagarunt, quos apud animalia scabie affecta invenerunt, et nonnulli horum etiam pro hujus mali causa habuerunt. — Observationes GALIS etiam probavisse videtur PAULET, *Notice sur l'insecte qui produit la Gale* etc., in *Bull. des scienc. méd.* T. VI, p. 191. — GALÈS porro sulphur scabiei remedium habuit specificum, utpote Acaris infestissimum, inprimis si sub vaporum forma adhibeatur. Id ulterius exposuit in *Mémoire et rapports sur les fumigations sulfureuses ap-*

De rei veritate, testimoniis tot tantorumque Virorum probata, jam nemo amplius dubium fovebat. Mox in libris Entomologicis et in ipso opere Cl. ALIBERT de morbis cutaneis icones insecti, a GALÈS datae, tanquam verae insecti scabiei effigies divulgabantur. Ita LATREILLE hasce pro talibus habere non haesitavit et tantum abest, ut Cl. LAMARCK 55) hac de re dubitaret, quin potius differentiam inter iconem, a GALÈS, et illam a DE GEER exhibitam, similiter ac ille explicare maluerit, sententiam pronunciando, scabiem forsam duas species insectorum praebere.

Quamquam itaque plurimi Viri, eruditione et auctoritate pereximii, fidem haberent observationibus Doct. GALÈS ipsiusque opinionem approbarent de insecto scabiei, tamquam unica hujus exanthematis causa, alii tamen incassum tentaverunt, Acaros inserere, quin ex pustulis scabie laborantium extricare, et ideo non solum talem Acarorum efficaciam, sed etiam praesentiam in dubium revocaverunt. BONNET 56) Acaros,

---

pliquées au traitement des affections cutanées etc. Paris 1816, et laudatorem inter exteros nactus est Doct. BREMER, in HORN's *Archiv. für Med. Erfahr.*, 1816, März, April, s. 226 ff.

55) *Animaux sans Vertèbres*, T. V, p. 57.

56) *Dissert. de la Gale*, Par. 1815.

rugis digitorum interpositos, quidem pustulas parvas, sed non veram scabiem produxisse affirmat, dum BIETT, MOURONVAL cum aliis discipulis Doct. LUGOL, et RAIJER, ASSELIN etc. frustra quaesiverunt insectum. MOURONVAL simul scabiem inserere ope seri, in vesiculis contenti, non contigit 57). Praeter hosce Medicos Parisienses, alii in Italia, inter quos BIANCHETTI 58), non meliori successu insectum investigaverunt illudque idcirco negaverunt. BIETT opinatur, phthiriasin cum scabie confudisse observatores et casum a MORGAGNI adductum ad hanc etiam esse referendum, et J. GREEN Acaros scabiei quoque pro pediculis, aut Acaris casei aberratis (aeque ac MURRAY), habere mavult 59). Ipse Doct. LUGOL, uti ALIBERT, etiam Medicus in Nosocomio *St. Louis*, publice praemium (100 coronatorum *écus*) obtulit discipulo, qui Acarum scabiosorum monstraret 60).

---

57) *Recherches et Observations sur la Gale, faites à l' Hôpital St. Louis pendant les années* 1819—1820—1821, Par. 1821. Cf. HUFEL. *Journ.*, B. LVII, st. III, s. 59.

58) C. D. BIANCHETTI, *Riflessioni sulla pretesa causa vivente della rogna*, in *Repertorio die Med. Chir. e Chimica Med. Farm. di Torino*, 1826, Febbr. p. 67, Giugno p. 252.

59) Vid. W. E. BÜCHNER, *Geneeskundig Handboek* enz. D. III, Amst. 1839, bl. 61.

60) *Lancette Francaise*, 28 Jul. 1814.

Ita certamen literarium inter utriusque Medici discipulos initum est, quod Expertissimo RASPAIL occasionem praebuit, utriusque partis argumenta ponderare, et ope lentium a se inventarum, accuratius rem investigare. Etsi vero RASPAIL fere ducentas pustulas perscrutaretur, non felicior erat caeteris; insectum non detegere potuit. Dubitare tamen de insecti praesentia vetabant testimonia Virorum fide dignissimorum, qui illud viderant et delineaverant; attribuebat potius conatuum irritorum causam obstaculis circumstantibus fortuitis, sive climati, sive remediis, sive imperitiae, quae vero cum etiam obstare debuerint observatori GALÈS, quomodo (rogavit) hicce discipulus toties insectum invenire potuerit, quod tot artis magistri frustra quaesiverint? Ita ratiocinatus et comparans icones veterum auctorum cum illis a GALÈS divulgatis, RASPAIL de harum veritate dubitare incepit, imo certior reddebatur, has esse falsas, cum illas compararet cum figuris Acari casei sive farinae et hisce omnino similes reperiret. Magis magisque sic convincebatur, GALÈS principis urbis Galliae principes eruditos decepisse et pro Sarcopte hominis Acarum casei satis dolose demonstravisse. Attamen non ilico patefecit, quod detexerat, sed eadem ac GALÈS usus est fraude

ad convincendos Viros ab illo deceptos. Hunc in finem Chirurgus MEIJNIER, qui RASPAIL, materiem pustularum scabiei indaganti, adstabat et illam ipsi suppeditabat, Doct. LUGOL declaravit, se insectum scabiei rursus detexisse et palam ex pustulis extracturum et demonstraturum esse. Hoc scopo anno 1829 (2 Sept.) Medicorum consessus annunciabatur et habebatur. Postquam aquae, qua materia serosa ex pustulis in vitro concavo diluebatur, puritas erat demonstrata, illud vitrum sub microscopio ponebatur, et MEIJNIER distribuebat fluidum digiti ope per vitrum. Hoc facto, quicunque per microscopium intuebantur, testati sunt, insectum scabiei a GALÈS demonstratum rursus inventum et praemium a LUGOL propositum reportatum esse. Hoc vero negabant RASPAIL et MEIJNIER, fatentes, insecta, quae tot viderant, non nisi Acaros casei sive farinae esse, quos MEIJNIER clam liquori addiderat, dum illum digito miscuerat, sub cujus ungue Acari casei latuerant.

Non levis hinc exorta est animorum agitatio, qua durante, RASPAIL suam opinionem de Sarcopte hominis palam professus est, concludens: insectum a GALÈS ostensum non esse Acarum scabiei, sed ab altera parte hunc tamen minime esse negandum et

pro fabula habendum, quod auctores doctrina et fide insignes hac de re scripserant et depinxerant 61).

Haec adsertio denuo excitavit Viros, qui pro GALÈS militabant, inter quos Doct. PATRIX publica cum Acaro humano annunciavit et instituit pericula, quae vero successu caruerunt, ita ut nunc certius quam unquam insecta scabiei pro imaginationis prole haberentur et nemo se amplius cum horum pervestigatione occuparet — nisi RASPAIL, qui, anno 1831 Sarcopte equi detecto, hinc ex analogia concludit, talem in homine etiam exstare 62).

Ita res sese habebat, quando, anno 1834, Medicinae studiosus ex insula Corsica natus, RENUCCI nomine, iterum in lucem protulit hoc insectum, quod tantae liti inter Viros doctos Parisienses ansam dedisse miratus est. Nimirum in sua patria, in qua scabies vel endemice viget, hoc animalculum sub nomine *Pedicello*, inter vulgum notissimum offenderat, adeo ut multae mulieres ibi insigni dexteritate polleant, illud ope acus extrahendi. Cum a fratre, ibi praxin exercente, audivisset, quamplurimos auc-

---

61) *Ann. des Scienc. d' Observat.* T. II, No. 3, p. 466, 1829.

62) Hunc Acarum equi descripsit et exhibuit in *Lancette Française* 13 Aout. 1831, et suo opere *Nouveau Système de Chimie organique* etc., Par. 1833, P. 508, Pl. 10, Fig. 7, 8, 9.

tores hoc insectum negare, occasione crebra usus est illud inquirendi, quod non, nisi post repetita tentamina irrita et omni adhibita attentione ad sedem, quam habitare solet, investigandam et ipsum extrahendum sibi successit, huic inveniendi difficultati et inscitiae tribuenti, quare toties frustra quaerebatur, quin non nisi casu fortuito inveniebatur. Ita jam ab anno 1815 ibi cum hac re se occupavisse et non solum Acaros extraxisse e scabie, sed illam quoque pluries ope illorum inseruisse testatus est. Nec non Parisias, studiorum perficiendorum causa, profectus mox convincebatur, saepe dictum insectum tam hac in urbe, quam in insula Corsica exstare. Dum Doct. ALIBERT, corona studiosorum numerosa cinctus, consilia gratuita aegris daret die 13 Aug. 1834, RENUCCI, sui praeceptoris dubiis hac de re 63) excitatus, insectum ex pustulis feminae scabie adfectae eduxit et omnium obtutui exhibuit. Hora praeterlapsa, alterum invenit in viro scabiei laborante, multis discipulis visum. Die 20 Aug. 1834, coram ALIBERT et notabili medicorum et studiosorum multitudine monstravit, quomodo Acarus inquirendus et extrahendus sit. Residet nempe rarissime in vesicu-

---

63) Vid. ALIBERT, *Monographie des Dermatoses*, T. II, p. 557; altera editione hujus operis tamen denuo omnino vel ipsi aetiologiae scabiei ex Acaris consensit (p. 552).

lis ipsis, sed vulgo in cuniculo, quem insectum ipsum verosimiliter fodit et a vesicula, recto aut curvo tramite 1—3 lin. longo, decurrit. In hujus cuniculi fine si appareat punctulum album, id insecti praesentiam satis certe indicat. Prope hoc punctulum acus cuniculo intrudi et hujus ope epidermis disrumpi debet, versus illud punctulum, sub quo acu ducta, cum epidermide jam insectum vivum et integrum tollatur, quod etiam ALBIN GRAS, EMERY aliisque successit 64).

---

64) Ita accurate ipse RENUCCI in nota, qua sui inventi Academiam scientiarum Parisiensem certiorem reddidit, indicat signa, quibus insectum detegi, et modum, quo extrahi possit: „On examine les vésicules d'un galeux récemment affecté (car si un traitement est commencé depuis quelques jours, ou les vésicules déchirées par les ongles, comme dans les gales anciennes, l'acarus est mort ou enlevé, et l'on a très peu de chances d'en rencontrer); on voit alors à la base des vésicules, des sillons qui se dirigent en différens sens.

Tantôt le sillon monte vers le sommet de la vésicule, tantôt il la contourne, tantôt, partant de sa base, il se prolonge sur la peau environnante. A l'extrémité du sillon la plus éloignée de la vésicule, on trouve d'ordinaire un point blanc, visible a l'oeil nu. Ce point blanc où l'épiderme est légèrement soulevé, correspond à la partie postérieure de l'insecte.

Dans les pays chauds, j'ai même pu distinguer la tête qui est representée par un point brunâtre. Toutes les fois que l'un ou l'autre de ces points, le premier surtout, sont visibles à l'extrémité du sillon, il est à peu prês certain qu'on trouve l'insecte. Il convient alors pour l'extraire, de percer l'épiderme à l'aide d'un épingle ou d'une aiguille, à une demi-ligne à peu prés du point blanc, en se dirigeant vers celui-ci.

On déchire ainsi l'épiderme avec précaution, on renverse les petits

Ut jam incredulissimi et inprimis Doct. LUGOL convincerentur, RENUCCI invocavit auxilium Expert. RASPAIL, et ambo convenerunt, ut examen publicum haberetur ad diem 22 Aug. 1834, in Nosocomio *St. Louis*. Doct. EMERY et nonnulli disciputi in gratiam RENUCCI insecta plura ex vesiculis scabiei recentibus extraxerunt, quae RASPAIL sub microscopiis omnibus spectanda exposuit et cum iconibus a DE GEER exhibitis prorsus congruere demonstravit. — Nullum jam supererat dubium, Sarcoptem hominis exstare, et

---

lambeaux de chaque côté du sillon ou d'un seul, après quoi, faisant passer la pointe de l'aiguille ou de l'épingle au dessous du point blanc, on soulève ainsi l'insecte qui le plus souvent paraît avoir la tête comme rentrée sous son corps, et qui, pour des yeux peu exercés à le reconnaître, pourrait être pris au premier coup d'oeil pour un grain de fécule, ou un petit lambeau d'épiderme qu'on vient de déchirer. La seule difficulté de cette petite opération consiste à éviter de tuer l'animalcule en le perçant avec l'aiguille; mais avec un peu d'habitude, on évite presque toujours cet accident. Deposé sur l'ongle, l'*acarus*, d'abord immobile comme le sont la plupart des insectes qui se sentent toucher, ne tarde pas se mouvoir et à marcher avec assez de rapidité pour qu'on soit obligé de le maintenir sur cette surface, de peur qu'il ne s'échappe. Ses formes à l'oeil nu, ne sont pas distinctes. Mais au microscope, sa configuration se rapproche tout à fait à celle de la tortue, sauf le nombre et la disposition de ses pattes etc. J'ajouterai que l'*acarus* se trouve assez souvent encore à la base de la vésicule, quelquefois sur les côtés, mais très rarement ou presque jamais à son sommet etc. Vid. *Revue Médic.* sept. 1834, p. 490, et icones additas Sarcoptis humani et insecti, quod GALès delineaverat, seu Acari casei. Conf. nota ad hasce icones in eodem Diario, Oct. 1834, p. 143.

LUGOL lubenter fassus est, se RENUCCI praemium promissum perdidisse; dum RASPAIL historiam naturalem insecti magis illustravit, eodem anno commentatione jam laudata edita, in qua illud accurate descripsit, additis et comparatis aliorum observatorum, BONOMO, DE GEER, GALÈS iconibus, nec non Sarcoptis equi 65).

Secundum RASPAIL, insectum oculo inermi visum, est album; qui visu acuto gaudet, in parte corpusculi nonnulla punctula brunneo-rubra distinguere potest et ipsius gressum plano colorato persequi. Circiter lineae $\frac{1}{2}$ diametrum habet. Lente simplici jam singulas corporis partes, uti pedes, rostrum etc. observare licet. Sub microscopio visum a supe-

---

65) Effigies Sarcoptis hominis, quae exhibita est in *Journ. des conn. med.* 15 Sept. 1834 et secundum quam illa facta esse videtur, quae prostat in FRORIEP's *Notiz.* B. XLIII, No. 1, teste RASPAIL, non accurata est. Sua descriptio cum icone Sarcoptis hominis etiam offenditur in SCHMIDT's *Jahrbücher*, 1835, V, 361; dum praeterea concinnam hujus insecti historiam cum figura ejusdem Auctoris nobis tradidit Vir peritiss. H. A. SCHREUDER, qui Parisiis anno 1834 testis fuit certaminis inter eruditos ibi de hac quaestione gesti, in opere suo: *Proeve over den staat der Geneeskundige Wetenschappen in Frankrijk*, Rotterd. 1839, bl. 156 en vv. — Adnotandum restat, praeter RASPAIL, una quoque DUGÈS Sarcopten hominis descripsisse, sed *S. scabiei* nominavisse (*Annal. des Scienc. natur.*, 1834, Janv., Mars), dum tandem CLOQUET hoc nomen rursus in illud *Cheyleti scabiei* mutavit (*Encyclopädie der Mediz. Wiss. nach dem Dict. de Médic. bearb. von* MEISSNER *u.* SMIDT, Art. *Krätsmilbe*); praevaluit vero primum a RASPAIL restitutum nomen *S. hominis*.

riore parte animalculum complanatum videtur, sed a latere visum, tam facie superiore, quam inferiore, convexam refert formam, imo in dorso protuberantiam habet et series punctulorum pilis brevibus praeditorum. Pedes anteriores 4 et caput inclinari et sic sub corpore abscondi possunt, ita ut infra testam, quae animal circumdat, retracta videantur, testudinis adinstar. Pedes anteriores et caput tot vaginis sunt inserta, quae speciem thoracis formant. Caput est simplex, purpurei coloris et inclinatum sub rostro (*suçoir*), nullis, ut RASPAIL videtur, mandibulis formato. Acido acetico immisso insecto, ad utramque partem capitis duas vesiculas pellucidas observavit, oculos simulantes. Ad nucham duo paria punctorum, quodvis pilis instructum, inveniuntur, caput superantia. Huic utrinque adsunt pedes anteriores, constantes ex 4 articulis et tarso brevi triangulari. Quisque articulus pilis est obsessus. Posteriori corporis parti etiam 4 pedes sunt inserti, quorum pili cum 4 pilis ano insitis, 8 offerunt setas varia longitudine exstantes. Ceterum pedes postici, etsi breviores, quam antici, eodem generatim modo sunt conformati; carent tamen *ambulacro*, uti RASPAIL vocat apparatum motui inservientem. Tota animalculi substantia est dura, ita ut difficulter secari et acu, si

extrahatur, laedi possit. Quamvis pili pedum anteriorum antrorsum vergant, illud non impedit, quominus cutim perfodiat, cum pedes et rostrum inclinare queat sub testa. Durae praeterea papillae, quae dorsum insecti rudem efficiunt et postrorsum vergunt, regressum impediunt; juvat etiam hic omnino involucri durities cornea. — Sequentem dat generis et speciei, quibus hoc insectum comprehenditur, definitionem:

Sarcoptes. Corpus subrotundum utrinque quasi compressum, testudiniforme, albidum, striatum, supra dorsum papillis rigidis hirtum. Pedes octo, anteriores circa caput dispositi, et quasi palmati, 4 postici distantes, et saltem 4 anteriores ambulacris praediti.

Sarcoptes hominis. Pedibus posticis ventri adfixis, multo brevioribus, et ambulacrorum expertibus, ambulacro simplici.

Quod ad ipsam quaestionem attinet, num Sarcoptes hominis sit causa scabiei, ut id decidatur, non sine circumspectione, ulteriori opus esse indagatione autumat RASPAIL. Si cuniculus prope quavis vesicula offenderetur, vel absente insecto, id omnino probaret, vesiculam esse effectum insecti et comparandum cum gallis (quibuscum plures jam exan-

thema comparaverunt, simile nomen sermone Gallico ferens), talibusque excrescentiis, quae in plantis ab insectis ibi nidulantibus generantur. Huic opinioni faveret absentia Sarcoptis in pustulis, indicio, hasce non nutrimento inservire insecto, sed sua ope produci; quod multum confirmaret observatio, pustulam semper post cuniculum formari, etc.

Galès fraude publica erga orbem eruditum accusatus se non palam defendit, attamen defensores nactus est, inprimis DUMÈRIL, VILLERMAY et MOREAU, affirmantes coram Academia Parisiensi, se revera Acarum scabiei a GALÈS extractum vidisse et insitionem ab illo, ope hujus insecti factam, veram scabiem produxisse. Dubium contra GALÈS motum, illum Sarcopten methodo, qua extrahere solebat insectum, non invenire potuisse, ita solvere tentaverunt: Vesiculam scilicet pellucidam acumine lanceolae aperibat et hujus ope radebat cutim ambientem et vesiculae fundum, ita ut omne, quod in ea continebatur, colligeret et vitro concavo deponeret; hoc modo Acarum e cuniculo suo exprimere potuit. Galès ipse quidem in Thesi sua dixerat, se quandoque insectum invenisse in vesiculis, sed pluries in loco propinquo, in rugis cu-

tis digitorum, inprimis vero in vesiculis nascentibus et, cum maxime nocte pullulent, hoc tempore 66). Porro in memoriam revocaverunt experimenta, quae GALÈS comparationis gratia de insitione Acari scabiei et Acari farinae sive casei instituit, illa cum, haec non successu coronata; imo post insitionem Acari scabiei apud hypochondriacum, qui scabie repulsa laborare videbatur et, ut haec eliceretur, jam frustra scabiosi indusio linteo fuerat indutus, non solum scabiem rediisse, sed etiam aegrum convaluisse. Quod ad errorem iconis attinet, hunc, affirmante GALÈS, ita explicaverunt, pictorem Acarum scabiei cum Acaro farinae sive casei, quem una depictu acceperat, confudisse, et sic GALÈS aliosque iconem hujus Acari pro illa veri Acari scabiei habuisse 67). — Hac tamen rei illustratione minime tollere potuerunt suspicionem, quam GALÈS sibi contraxerat, nec silentio suo diminuit, sed potius auxit. Verum, si suam Dissertationem, non sine probitatis specie scriptam, legamus, forsam aequius est

---

66) Ut partes conciliaret HIPP. CLOQUET, opinionem protulit, sibi probabilem esse, duas existere species Sarcoptis, quarum altera, jam ab ETTMÜLLERO designata, habitaret cuniculos et altera vesiculas.

67) *Revue Médic.*, 1834 Sept. p. 105, Nov. p. 273 et 276. Vide etiam SCHMIDT's *Jahrb. der Medicin*, 1835, VII, 372.

credere, GALÈS non de industria decipere voluisse, sed potius deceptum esse.

Ita diu haec quaestio Eruditos Parisienses occupavit et crebris disputationibus in Academia medica ansam dedit. Has inprimis resuscitaverant experimenta, quae discipulus Nosocomii *St. Louis*, nomine ALBIN GRAS, de insitione Acari scabiei repetiit. Ille primum, die 28 Aug. 1834, duos Acaros vivos brachio sinistro antico, eodem modo ac GALÈS, sibi inseruit, sub vitro horologii, linteis empl. adhaes. illinitis applicato. Apparatu 30 Aug. ablato, duo conspiciebantur cuniculi parvi $\frac{1}{2}$ lineam longi, et ad horum extremitates duo puncta alba, Sarcopten indicantia. Apparatus reponebatur, sed loco vitri concavi linteum sumebatur. Sex diebus praeterlapsis, omnia evanuerunt puncta et cuniculi, nec GRAS aliquid persentiit durante experimento, nisi pruritum levem, qui ab empl. adhaes. quidem repeti posset. — In altero periculo, 1 Sept. facto, simili ratione 7 Sarcoptes applicabantur. Quatuor diebus praeterlapsis, 4 aut 5 cuniculi observabantur. Die 6 Sept. duo Sarcoptes vivi inde eximebantur (coram testibus), et dein reponebantur. Die 12 Sept. Acarus unus vivus adhuc extrahebatur. Tandem, sub levi pruritus sensu, vesiculae obortae

sunt prope cuniculos die 16 Sept., characterem psoricum offerentes; in nonnullis serum erat turbidum. Hae vesiculae non observatae sunt sub empl. adh. nec in manibus, sed modo sub linteo, Sarcoptes tegente, ita ut hisce et non emplastro neque contagioni adscribi possent. — Tertia vice repetiit insitionem in digito annulari, chirotheca induto, ad retinendos Sarcoptes; cum hoc experimentum coram Academia medica monstraret, cuniculi jam apparebant. — Denique duos Acaros brachii flexurae duorum aliorum hominum apposuit; apud unum die quinta 3 4ve vesiculae aut pustulae prodiernnt, snb pruritu insigni, sed scabendo vesiculis et cuniculis destructis, non secuta est scabies; apud alterum non nisi duo sulci cum pruritus sensu apparuerunt.

Sequens est observationum et periculorum, quibus porro operam dedit, de scabie ejusque insecto summa. Suam sedem ita describit. Pustula scabiei aperta et sero effluxo, in centro cavitas exigua observatur, quae potius elevatione corii, quam vera ulceratione formatur, cum pustulae scabiosae nullam relinquant cicatricem. Interdum se observasse putat, epidermidis partem, vesiculam tegentis, auferri posse, absque vesiculae perforatione, unde sequeretur, illam non solum epidermide tumescente, sed etiam involu-

cro peculiari cingi. Si accurate pustulae in manibus et pedibus explorentur, plures recens natae in apice aut latere punctulum offerunt, pulicis morsui exiguo simillimum, sine area rubra. Saepe extenditur hoc punctulum in semicirculum et insidet maculae parvae albidae. Si vesicula exprimatur per hoc punctulum, aliquid seri effluit. In aliis pustulis majoribus, a punctulo dicto vestigium cernitur punctatum, album aut nigrum, quod nunc ab apice ad peripheriam, nunc veluti filum per vesiculam transit, sive per apicem decurrit, sive non. Punctulum et vestigium punctatum in epidermide media contineri patet, si haec dematur et lente examinetur. Accuratius perspectum vestigium punctatum primordium videtur cuniculi, nam solis luce in fine vestigii, opposito punctulo, et in latere vesiculae exigua macula alba cum puncto fusco videri potest. Hoc loco epidermide elevata, Sarcoptes absque vesiculae perforatione extrahi potest, nunc ad tertiam modo sui voluminis partem accretus. Haec insecti sedes observatores in errorem duxit, qui in vesiculis ipsis illud quaerebant. Omnino itaque notatu dignum est, quod Auctor observavit, nullum cuniculum inter et vesiculam esse commercium, non nisi fortuitum. Nunquam vidit duos cuniculos incipere in eadem vesicula, etsi sae-

pius sese decussent. Neque omnes vesiculae cuniculum producunt. Plerumque Sarcoptes cuniculum ad 1, 2, 4, 6 lineas ultra vesiculam primariam perfodit, per varium temporis spatium. Ita Sarcoptes sibi digito applicatus 20 dies, alter brachio modo 3 dies impendit ad cuniculum 2 linearum fodiendum. Praeter vesiculam primariam saepe in decursu cuniculi 2 aut 3 aliae vesiculae secundariae nascuntur, quae vero non cum illa communicantur. Sarcoptes semper in cuniculi fine residet et nunquam regreditur. Indicatur ibi epidermidis tumore et saepe punctulo nigricante, pedibus anticis et rostro formato. Saepe cuniculus a Sarcopte formari videtur absque vesiculis, quod GRAS ipsi accidit, Sarcoptes cuti imponenti; sulci quidem oriebantur, sed vesiculae modo accedebant et minime in cuniculorum decursu. Hi cuniculi saepe tortuosi sunt, aut lineas cutis sequuntur; inveniuntur in manibus, inprimis facie dorsali, inter digitos, interdum in pedibus, multo rarius, uti ipse Sarcoptes, in axillis, brachiorum flexuris etc. Cuniculi et Sarcoptes offenduntur generatim in omnibns scabiosis, qui nondum curam subierunt, non in aliis exanthematibus. Numerus vero vesicularum non respondet illi cuniculorum. Post varium temporis spatium, Sarcoptes adultus eva-

nescit, nec non sensim cuniculus. — Hisque itaque demonstratis, Sarcopten considerat pro causa vera scabiei, ita ut vehat sibi proprium contagium nec modo hoc transmittat, quia nunquam in vesiculis reperiatur et scabiem, ope seri in illis contenti, inserere sibi nec aliis successerit. Analogia id confirmaretur, cum WALZ scabiem ovinam etiam Acari specie propagari expertus sit. Ita hanc propagationem sibi explicat: Scabies, uti notum, communicari potest contactu indirecto aut directo. Id Acaris et inprimis ovulis translatis fit. Si ovulis, tempus, quo scabies erumpit, variare potest a 1 ad 8 aut 10 dies, pro varia ovulorum maturitate; si vero Acaris junioribus, illud tempus eo diutius durare potest. Quod ad vesicularum ortum attinet, ita res sese habere potest: Acarus ovulo exclusus epidermidi se insinuat, punctulum descriptum producens; sua praesentia aut ratione incognita cutis tumescit et serum secernit, ab Acaro tamen intactum; ille dein abit, cum cuniculum rodat et interdum adhuc unam alteramve vesiculam creet; quo facto, adultus epidermidem deserit, ut coeat; jam novum cuniculum fodit, nulla facta vesicula, et denique rursus illum relinquit, ut ovula pariat et ita se propaget. — Cuniculos non talparum more fodiunt, cui pedes non

sunt dispositi, sed potius epidermide adtollenda ope rostri. Pluribus Sarcoptibus sub microscopiis exploratis, raro desunt, qui ovula pariant oblonga, alba, pellucida et, secundum DUGÈS, $\frac{1}{3}$ partem illorum corporis aequantia. Interea adnotat GRAS, eruptionem vesiculosam nonnunquam persistere, etsi post curam validam non nisi Acari mortui amplius offendantur, et frictionibus et balneis ovula destructa sint; imo raro Sarcoptes vivos reperiri post 3 aut 4 dierum curam scabiei, et nihilominus hanc perseverare 10 ad 15 dies. Hinc concludit Doct. Vir, Acaros non solum topica et mechanica ratione, sed etiam vitali et physiologica producere scabiem, non secus ac gallae etc. in plantis oriuntur, ita ut illam quidem efficerent, sed non omnem morbum constituerent; quam ob causam etiam duplicem esse instituendam curam, qua primum Acari destruantur et dein affectio psorica sanetur 68).

---

68) *Recherches sur l'Acarus, ou Sarcopte de la Gale de l'homme, par* ALBIN GRAS, 1834, Paris. Vid. etiam *Revue Médic.* 1834, Nov. p. 317. SCHMIDT's *Jahrb.* 1835, V, 360. GRAS praeterea nonnulla experimenta instituit de actione variorum liquorum in Sarcoptes, qui per aliquot dies extra corpus vivere possunt. Acarum aqua pura immersum adhuc vivum reperit post horas 3; in aqua salsa et oleo oliv., amygdal. et ricini post h. 2; in oleo crotonis post h. 1 (post 4 h. mortuum); in solutione extracti saturni post h. 1; in aqua calcis mortuum post h. $\frac{1}{4}$; item in aceto post minuta prima 20; in alcohole

Haec opinio utique probaretur, ut ulterius indicavit, observatione, jam a GALès aliisque factam, numerum Sarcoptum minime respondere exanthematis vehementiae, imo inter se adeo differre, ut illorum modo 5 aut 6 offenderit in aegris exanthemate obtectis, e contra vel centum extraxerit ex scabiosorum manibus, vix vesiculas aliquas offerentibus; porro exemplis probatis scabiei repercussae, eruptionis perseverantia, Acaris licet exstinctis, foecunditate exigua insecti, in cujus ventre oculo armato modo unum ovulum conspicere licet, dum non esset animalculum nocturnum, uti AUBÉ credit — id concludens ex multo frequentiore infectione nocte concubitu, quam die contactu 69) — cum e contra GRAS Acaros frustra quaereret tempore vespertino, pruritu obvio acutissimo. — Ceterum Acarum revera scabiem generare, sequentia confirmarent insitionis experimenta dein adhuc insti-

---

30° et sol. carbon. alcalini post m. 20; in sol. sulphat. potassae post m. 12; in essentia therebinthinae post m. 9; in sol. hydroiod. potassae post m. 4—6; in sol. acidi arsen. post m. 4; in acido sulphurico dil. post m. 3; in creosoto puro, alcalibus et acidis mineralibus conc. protinus. Vesperi in floribus sulphuris impositum Sarcoptem postridie mortuum offendit, verum in lycopodio post 24 h. adhuc vivum; interim post 1 h. in flor. sulphuris et per 16 m. in vapore sulphuris adhuc vivebat.

69) CH. AUBÉ, *Considérations gén. sur la gale et l'insecte, qui la produit*, Thése No. 60. Vid. SCHMIDT's *Jahrb.* 1837, XIV, 268.

tuta. Acaris scilicet inter digitos pharmaceutici nosocomii *St. Louis* applicatis, ille scabiem contraxit, etsi cum nullo scabioso in contactu fuisset. Ex consilio Doct. PARISET duabus puellis, inter mente captas hospitii *Salpétrière* morantibus et stupore singulari affectis, revulsionis ergo, scabiem inseruit, Acaris nonnullis sub axillis applicitis; una puella scabie corripiebatur et insania sua sanabatur; psora tam vera laboraverat, ut, cum nondum sanata nosocomium egrederetur, illam cum parentibus communicaret. Praeterea experientia ipsum docuerat, psoram post adhibitam curam, i. e. acaris necatis, non amplius contagiosam esse. Si Acarus non scabiem produceret, scabiosi sine Acaris offenderentur, quod non, saltem rarissime locum haberet, vel Acari sine scabie occurrerent, quod nunquam locum haberet, et argumentum omni contradictione majus existimat 70). — Tandem, ut absolvam enarrationem eorum, quae praestitit Doct. GRAS, addendum est, illum, alio loco de symptomatum nexu cum aetiologia scabiei agentem, monuisse praeter varietatem vulgarem Sarcoptis, aliam dari sibi videri, illam,

70) Vid. SCHMIDT's *Jahrb.* 1837, XV, 140. *Revue Méd.* 1836, Sept. 407, Nov. 270.

quam LINNAEUS observavisset et quae duabus maculis semilunaribus convexa parte sibi oppositis in dorso gibboso distingueretur, cum inflorescentias scabiei proprias distinguat in vesiculas, papulas, pustulas et tubercula etc. 71).

Haec sunt fata recentiora aetiologiae scabiei, hujus originem ab Acaris repetentis, in Gallia, quae extra illam novos porro etiam cultores habuit, inprimis in Germania. Doct. KÖHLER Berolini, anno 1836, experimenta insitionis scabiei ope Sarcoptum cum successu repetiisse affirmat. Faciei internae antibrachii foeminae sanae duos Sarcoptes vivaces applicavit. Tribus diebus praeterlapsis, sub epidermidem penetraverunt et singuli cuniculum foderunt lineam 1½—2 longum, impletum sero limpido. Cutis ambiens mansit intacta, sed ad 3 pollicum distantiam in carpo et cubiti flexura apparuerunt 12 circiter vesiculae, similes forma vesiculis scabiosis et vivum pruritum excitantes. Multiplicabantur et axillam adibant, tantum pruritum creantes, ut foemina somno per duas noctes privaretur. — Serum limpidum, e vesicula verae scabiei sumtum et insitum pluribus

---

71) SCHMIDT's *Jahrb.* 1836, IX, 188. *Gazette Méd. de Paris*, No. 6, 1835.

hominibus variis in locis effectu omni caruit. KÖHLER inquirere volens, an Acaris demtis scabies sanaretur, 27 aegros utriusque sexus hunc in finem hoc modo curavit; omnes convaluerunt intra 2—39 dierum spatium. Quamvis apud hosce aegros eruptio per totum corpus esset dispersa, animalcula non nisi in manibus offendit, apud unum modo sub axilla. Apud hosce 27 aegros non opus erat adhibere ullum remedium externum aut internum; solum balnea tepida, omni alterno die, administrabantur. Cum ita Acaros omnes singulatim quaerere et auferre laboriosum et molestissimum esset, illos simpliciori modo delere tentavit. Bis de die aegrorum manus fricari curavit cum miscela, ex pulvere lapidum tritorum et aqua composita, quae mechanica ratione curam per 10, 14 aut 20 dierum spatium absolvit 72). — Hanc methodum alii imitati sunt et observaverunt, curam 18 diebus indigere et morbum saepe redire 73).

Doct. dein BURKARD EBLE 74), STANNIUS 75),

---

72) *Mediz. Zeit.*, 1836, No. 9, s. 41—43. *Revue Médic.*, Sept. 1836, p. 393. FRORIEP'S *Notiz.*, B. XLVIII, No. 3, s. 48.

73) *Vereins Zeit.*, 1837, No. 128, s. 13.

74) *Oesterr. med. Jahrb.*, 1835, B. IX, H. 3.

75) *Berlin. Centr. Zeit*, No. 30. *Zeit. von Verein in Preuss.*, No. 29.

nec non PLUMBE in Anglia 76) aliique suis observationibus confirmaverunt praesentiam Sarcoptis hominis, ita ut nullum hodie supersit de hac re dubium 77); — de quaestione vero, num causam sistat scabiei nec ne, lis adhuc omnino viget inter medicos. Ab utraque parte Viri stant arte et doctrina gravissimi. Inter recentiores nondum allatos, qui hanc illamve sententiam protulerunt, nominare possum sequentes. Ita Acaros pro causa scabiei agnoscunt HECKER 78), J. et J. P. FRANK 79), NEUMANN 80), LEONHARDT 81), MAT-

---

76) *On Diseases of the Skin*, 2de Ed., p. 306.

77) Non consentirem itaque Doct. BÜCHNER nuperrime scribenti in opere cit. *Geneesk. Handboek*, D. III, bl. 59: „De twist over het „al of niet bestaan dezer insekten is nog niet beslist." Nec subscriberem suae sententiae sequenti, cujus contrarium, ni fallor, jam initio paucis verbis indicavi: „De praktische geneesheer kan dit gerust „afwachten, daar het bestaan of niet bestaan der mijt voor de be„handeling en genezing der schurft van weinig of geen belang mag „beschouwd worden." Adeo parum nimirum hinc etiam ipsam quaestionem, num Acari sint causa scabiei nec ne, curat, ut illam ne quidem tangat.

78) *Kunst die Krankheiten der Mensch zu. heilen*, Erfurt 1805, Th. II, s. 763.

79) J. FRANK, *Praxeos med. univ. praecepta*, P. I ed. alt. 1729, V. III, S. 2, p. 116. J. P. FRANK, *de Cur. Homin. morbis Epit.*, T. IV, p. 165.

80) *Von den Krankheit. der Menschen*, B. II, Berl. 1837, s. 274.

81) In *Medic. Zeit. herausg. von dem Verein für Heilk. in Preussen*, 1838, No. 14.

THAEI 82) etc. Contrarium ponunt et Acaros modo scabie oriri aut illi accedere opinantur A. G. RICHTER 83), HUFELAND 84), MASON GOOD 85), BATEMAN 86), SUNDELIN 87), BENE 88), PUCHELT 89), BAUMGAERTNER 90), PENTZLIN 91) etc. In utraque, quae in hac Academia de scabie defensa est, Dissertatione posteriorem quoque opinionem probabiliorem habuerunt auctores 92). Inprimis vero recentissime fuse de hac re egit et hanc opinionem defendit Doct.

---

82) In *Hannöv. Annal.*, B. II, H. 3.

83) *Spec. Ther.*, B. VI, s. 142.

84) *System der Pract. Heilk.*, B. II, 1802, Abth. 1.

85) *The Study of Medecine*, V. V, 1825, p. 650.

86) *Prakt. Darstell. der Hautkrankh., nach dem Systeme des Dr.* WILLAN, *herausg. von* E. BLASIUS, Leips. 1835, s. 243.

87) *Vorlesungen über praktis. Arzneiwissenschaft von Dr.* E. A. W. BERENDS, B. VI, Abth. II, Berl. 1829, s. 36, et *Pathol. u. Ther. der Krankheiten aus Mater. Grundlage*, Berl. 1827, B. II, s. 360.

88) *Elementa Med. pract.*, T. II, Pest. 1833, p. 318.

89) *Das System der Medizin in Umrisse dargestellt* u. s. w., B. III, Heidelb. 1831, s. 145.

90) *Handbuch der Spec. Krankheits- und Heilungslehre*, B. II, 1837, s. 203.

91) In *Journal der Chir. u. Augen-Heilk. von* V. GRÄFE *u.* WALTHER, 1836, B. XXIV, H. 3.

92) A. SMITH, *Spec. med. Inaug., continens animadversiones quasdam de scabie*, Gron. 1817. J. H. SINNIGE, *Diss. Therapeutico-medica Inaug. de Scabie, inprimis de ejus repulsione atque curatione*, Gron. 1833.

B. RITTER, argumentis suffultus tam novis, quam aliis pridem jam allatis 93). Haec igitur afferre maxime conducit, ut disputationem concludamus.

Post iteratas infructuosas inquisitiones tandem sibi contigisse affirmat, Sarcoptem eruere e vesiculis serosis, loco et modo praescripto, non quidem in omnibus, sed in pluribus tamen scabiosis. Etsi itaque haec insecta revera in scabie existere probet, hanc tamen non producere, sed potius in illa produci autumat, parasitorum more, generatione scilicet aequivoca. Postquam ostenderit, non ita dari dispositionem peculiarem in organismo humano ad scabiem, sed magis externa in censum venire momenta, quae cutis integritati adversa origini scabiei faverent, dum contra hanc originem impedirent omnia, quae cutim sanam et vegetam conservant, ita argumentari pergit pro sua opinione.

1. Omnis generatio aequivoca seu spontanea, uti dicitur, requirit materiem organicam novo formando corpori idoneam, cum sit lex naturae generalis, corporis organici reliquias inservire novo producendo. — Cutis

93) In *Journ. von* v. GRÄFE *u.* WALTHER, B. XXVII, H. 4, 1839, s. 1 u. ff., et B. XXVIII, H. 1, s. 1. u. ff.; in priore loco historiam tradidit aetiologiae scabiei ab Acaris, in posteriore illam dijudicavit et addidit variorum Auctorum icones Sarcoptis hominis, equi, ovis etc.

conditio in scabie oriente omnino apparet retrogressa, ad similem nempe statum, quo epidermis statu integro formam vesicularem offert in embryone. Cum itaque conditio cutis in scabie non sit nisi cutis dissolutio in partes constituentes adeoque status normalis sublatio, decompositio incipiens, qualis in cute arida vita destituta aegri diu scabie affecti conspicitur, ita haec tela externa, externis potentiis adeo exposita et a vitae organis primariis tam dissita, aptissima est generationi aequivocae. Quod opponitur, Sarcoptem hominis, utpote animal sexuale hac generationis ratione non indigere, sed instar aliorum animalium se ipsum propagare, pondere caret, cum vermes in intestinis non secus oriantur, etsi sexu non careant, et sic poni posset, vermes intestinales causam esse constitutionis debilis, cujus e contra sequelae sunt, uti Acari etiam scabiei.

2. Omnium animalculorum sic dictorum microscopicorum genesi praecedit chemica mutatio liquidorum, in quibus nova locum habet procreatio. — Hoc observatur cum insectis, quae in aceto, infusis etc. oriuntur idemque in insectis, quae post rorem melleum in arboribus fructiferis nascuntur. Quin id probant experimenta, quae CROSS cum electricitate instituit ad crystallos arte sibi comparandas. In hisce

nempe experimentis animalcula formabantur, quae oculo inermi visa punctulum album, sub microscopio vero Acari formam prae se ferebant, unde *Acarus horridus* a TURPIN dictus est 94). Idem fit cum animalculis, quae DONNÉ in pure balanitidis et in ulceratione partium contiguarum, uti etiam in vaganitide se invenisse testatur et Doct. R. FRORIEP confirmavit 95); porro cum animalculis, quae BAUPERTHUIJS et ADET DE ROSEVILLE 96) in scirrho et encephaloïdibus et MANDL in latice plantarum detexerunt etc. Imo exemplum luculentissimum praebet ipsa phthiriasis, quam etiam minime a translatione materiali derivare licet. — Ex hisce itaque sequitur,

---

94) Vid. FRORIEP's *neue Notiz.*, B. I, s. 308, B. V, s. 8 et 168, *Comptes Rendus hebdom. des Séanc. de l' Acad. des Scienc.*, No. 20, 13 Nov. Effigies *A. horridi* in Tab. Commentationi RITTERI addita exstat sub Fig. 15 et 16.

95) FRORIEP's *neue Notiz.*, B. II, s. 208, 88.

96) FRORIEP's *n. Not.*, B. V, s. 112. — Nuper, ut id addam, Cl. E. HERING, in schola artis veterinariae, quae Stuttgarti floret, Professor, descripsit praeter Sarcoptem equi (qui, uti affirmat, equis sanis translatus, scabiem etiam produceret), et ovis, quoque similia insecta, quae apud alia animalia in variis malis, ulceribus, carcinomate etc. offendit, uti vocat *die Ohrgeschwür — oder Eitermilbe des Hundes; die Krebsmilbe der Gemse, der Katze; die Strahlkrebsmilbe des Pferdes; die Eitermilbe der Vögel* u. s. w. Vid. *Verhandl. der Kaiserl. Leopoldinisch-Carolinischen Akademie der Naturforscher*, B. XVIII, Abth. 2.

irritationem cutis ex contagio et hinc ortam mutatam cutis secretionem praecedere insectorum genesi.

3. Quamdiu scabies papularum formam habet, in hisce nunquam Sarcoptes offenduntur (saltem se non offendisse testatur RITTER, uti etiam alii observatores concedunt), sed hi demum apparent, si papulae in vesiculas transeant, quod pugnat contra scabiei originem ex illis insectis. — Scabies videlicet ita oritur et procedit: In locis infectis cutis pruritus sentitur et lente observatis punctulum conspicitur, ac si squamula epidermidis se elevare tentat, absque ullo vestigio animalculi super aut subter cute. Istud punctulum primordium est papulae, in quam sensim se transformat, oculo inermi visibile et palpabile. Oculo armato punctulum videtur, simile cepae aridae, interna assimilatione volumine et consistentia auctum. Jam adhuc nullus Acarus observatur. Papula paululum increscens, squamulam epidermidis in superficiem convexam extollit et transsudat in apice fluidum serosum, pedetentim papulam totam implens et illam in vesiculam elevans, efflorescentiae scabiosae formam perfectissimam, in qua, veluti pollen in flore, Acarus nunc enascitur. Vesicula scabiei forsan nihil aliud est, quam squamula epidermidis ad formam primitivam reducta, et contagium in epidermi-

dem agit, quemadmodum fermentum acidum in pultem farinae, ex qua panis coquitur. Vesicula serosa dein turbida fit et major et tandem pustula purulenta. Sarcoptes nunc magis aut omnino evanescunt prope et in pustula, quae tandem rumpitur et exsiccatur, dum in vicinia novae squamulae prodeunt. — Ex hisce etiam explicatur, quare scabies inprimis inter digitos et in carpo et generatim in illis locis appareat, ubi cutis flexilis est, quia nempe hic squamulae epidermidis minus compressae sunt et ergo eo facilius iu primitivam vesicularem formam transire possunt, quam in aliis cutis locis.

4. Si Sarcoptes causa esset scabiei, nulla foret ratio, quare numquam in facie offenderetur, cum qua enim propter continuum inter manum affectam et faciem attactum communicari deberet. — Verum quare illud non locum habeat, explicet variorum morborum vel contagiosorum cognita lex, qua hasce prae illis partibus afficiunt, uti scarlatina membranam mucosam intestinorum, morbilli illam organorum respirationis. Id symptoma non mechanico sed vitali nitatur momento, uti elucescit in ipsa scabie, quae primarie morbus est epidermidis et hinc talibus locis parcit, ubi squamulae insigni obvio apparatu folliculorum sua structura mutationem

subierunt, uti in cute faciei et parte capillata capitis; dum contra scabies praecipue tales cutis plagas eligit, in quibus transpiratio et flexilitas in superficie aucta esse solet, uti inter digitos etc. Talis hujus legis observantia non Sarcoptibus ipsis tribui potest, sed propria esse debet naturae contagii, quod cum vita generatim et inprimis cum certis organis peculiarem fovet nexum.

5. Numerus Sarcoptum non respondet, imo contrarius est exanthematis vehementiae. — Secundum KÖHLER et GRAS, vulgo modo in manibus usque ad carpum, 5 aut 6 Acari offenduntur in hominibus, vesiculis et pustulis obtectis. Quodsi nunc vesiculae scabiei absque Acaris oriri possint, hi igitur non necessarii sunt uti causa. Quod cum perspiceret GRAS, fatetur, illa insecta non solum mechanica, sed etiam physiologica aut vitali ratione, ope virus cujusdam scabiem generare, idque verum, quatenus hoc virus illorum corpusculis adhaerere et non aliud esse queat, quam quod exanthema ipsum contineret et ferat.

6. Nec numerus, nec sedes, nec vitae ratio horum insectorum favent hypothesi, qua pro causa scabiei habentur. — Ex exiguo illo numero Sarcoptum, adeo cum scabiei vehementia discrepante, explicari non

potest, quomodo unus scabiosus permultos homines inficere queat. Inter 5—6 Acaros enim 3—4 masculi et ceteri feminei steriles esse possunt, ita ut contagionis vis mox perderetur, cum illa per ovula tam naturae contraria, quam absurda sit. Ovula sub epidermide nidulantia cutim ulterius non directe attingere possunt, et sin pustula rumpatur, epidermis rupta statim iterum coalescit et eo arctius pus contentum circumdat. Verum sin etiam ovulum revera transferretur in cutim hominis sani, longe abest, quin hoc in casu omnibus potentiis externis expositum unquam excluderetur et, hoc etiam facto, dubitandum foret, num proles ob nutrimenti defectum vitam conservaret; nam mutata in scabie secretione cutis hoc animalculum ali videtur. Porro Acarus, vulgo sub epidermide vivens et raro supra illam degens, ad scabiem transmittendam eo ineptior est, cum extremitate tubaeformi pedum anteriorum cuti se bene infigere nec adeo facile ab ea avelli queat. Denique non liquet, quomodo Acari plures hebdomades sine alimento in vestimentis etc. viverent, quod tamen necesse esset, si infectio solum per illos fieret.

7. Experimenta, in quibus Acaros vel serum inseruerunt, nihil demonstrant, cum non cum

necessariis cautelis instituta sint et propter exiguitatem animalculorum non quoque rite institui possint, nec omnes eventus conveniant. — Ut experimenta insitionis scabiei, ope Acarorum, fidem mererent, postularent, ut animalcula minutissima antea omni inficiendi qualitate privarentur, quia cum cute scabiosa in contactu fuerint et sic contagium vehere possent. Quamdiu id non observetur, quod ob rei subtilitatem difficile erit, merito de talibus periculis dubitare licet. Aeque minus probant pericula insitionis cum sero aut pure facta. A nemine notatum est, quo stadio morbi materies ex vesicula aut pustula sumserit, quamquam, aeque ac in aliis exanthematibus, sit evictum, certo scabiei stadio contagionis efficaciam summum attingere fastigium et dein sensim rursus diminuere. Insuper ipsa Acarorum translatio non raro successu caruit. KERSTING plurimos Acaros equorum scabiosorum in sanos transtulit, cum materia pulverulenta scabiosa, in qua copia aderat Sarcoptum, et hoc modo nunquam scabiem exoriri expertus est, etsi per 14 dies quotidie id tentaret. Imo GRAS brachio suo scabiem sic inserere semel frustratus est. Tentamina quoque a KÖHLER instituta pathologice explicari possunt, cum difficulter Acari omnes a cute tolli pos-

5*

sint et hic magis munditia et cutis functio naturalis restituta in censum veniant, quam Acarorum diminutio, quorum semper aliqui remansissent, quo in casu Acarus non causa scabiei esse potuit. Non parum quoque tale experimentum repugnat huic theoriae, quatenus, Acaris hoc modo demtis, nulla ratio habeatur ovulorum, quae adhuc relicta in cute fuerint, rursus scabiem productura, ita ut sic nunquam sanatio secuta fuisset, si Acari vera et unica scabiei causa essent, quamvis KÖHLER tali ratione plures aegros sine remediis externis ac internis curaverit. Ceterum illa psoram curandi methodus a KÖHLER instituta, cutem fricando cum pulte lapidum coctorum tritorum, aliis non satisfecit.

8. Nec frigoris efficacitas scabiem repellendi, nec illius sanatio solis remediis topicis insectis lethalibus, pugnat pro hac theoria. — Cutis quippe eo magis activa est, quo majore pollet turgore; hinc non frigori tanquam vitae Acarorum inimico tribuendum est, hijeme scabiem emendari, sed turgori cutis diminuto. Et hinc etiam variae psorae formae explicantur, pro varia cutis vitalitate in variis aegris. Quod attinet ad actionem remediorum topicorum, vulgo haec ita sunt constituta, ut vitae conditioni organismorum inferiorum contraria sint;

nec contagium aliud est, quam vivum quid parasiticum in corpore vivo exortum et modo in tali luxurians, quod non indiget animalculi forma, sub qua se prodat. Praeterea non opus est, ut scabies sanetur, universa per omnes corporis partes affectas remediorum applicatione, sed in pluribus casibus applicatio localis sufficit, quod non satis esset, ad Acaros dissitos necandos.

9. Metastasium scabiei indubiarum origo secundum theoriam Acarorum explicari nequit. — Non admittenda enim est absona illa opinio, ovula Acarorum in ipsum sanguinem venire et inde in varia organa deponi et sic tuberculis, inflammationibus, organorum laesionibus etc. ansam dare 97), sed omnino, ex analogia metastasium aliorum morborum contagiosorum, tales scabiei simili modo explicari debent 98).

---

97) Referunt inter alias huc observationem, a MORGAGNI (Loc. cit.) narratam, sectionis scabiosi, in quo interna facies pericardii et externa cordis et ferme omnium, quae pericardio concluduntur, pustulis scabiei simillimis obsessa visa est.

98) Multa mala interna scabiem insequentia aut illi accedentia, sub titulo metastasium comprehendi, quae hoc non merentur, infitias iri nequit, ipso consentiente Doct. RITTER (*Journ. von* V. GRÄFE *u.* WALTHER, B. XXVIII, H. 1, s. 19). Sic Doct. LEONHARDT (l. c.) non immerito forsan nonnullis observationibus suffultus ostendit, sequelarum seu sic dictarum metastasium scabiei originem potius perspirationi

10. Scabiem primitive generatione aequivoca, rebus externis faventibus, omnino oriri posse in ovibus, ita ut vesiculae praecedant et Acari accedant, testis est WALZ, alias huic theoriae addictus 99). — Similis origo non raro etiam apud homines obser-

---

suppressae sive aliis secretionibus cutis impeditis, quam verae exanthematis repulsioni tribuendam esse. Attamen et hoc concesso, nimiae prostant observationes fide dignissimae, quae de veris scabiei metastasibus dubitare vetant. Cf. Diss. laud. Doct. SINNIGE de scabiei repulsione.

99) „Nur dann, inquit" (*Natur u. Behandl. der Schaafräude*, 1809, s. 9, 3 u. 4), „wen mehrere Wochen lang anhaltender Regen, „besonders zu einer Jahreszeit, während welcher dieses nicht zu ge„schehen pflegt, auf die Schaafe einwirkte, beobachtet man den Räu„deausbruch bei solchen, welche mit bereits räudigen weder in un„mittelbare Berührung, noch mittelbare Verbindung gekommen sind. „Bei dieser bestimmenden äussern einwirkung findet man, dass vor„zugsweise Störe, welche den Begattungstrieb lange rückwärts nicht, „oder unverhältnissmässig wenig vorzunehmen Gelegenheit hatten; „Hammel, besonders sogenannte Klupper u. s. w. mit der Räude be„haftet erscheinen. — Treffen die äusseren und organischen Bedin„gungen zusammen ein, so entsteht eine organische veränderung bald „da, bald dort an bewollten stellen, besonders längs der Widerristes „bis zum Schwanzende und den nahe gelegenen Seitentheilen; hier„bei trennt sich zuerst die Oberhaut, wird dann weich, breiartig; „es bildet sich ein, dem entzündlichen sich nähernder zustand, die „abgelöste Oberhaut wird trocken, seröse Feuchtigkeit schwitzt aus, „trocknet gleichfalls und bildet soo Borken u. s. w. — Wirkt der „Regen fortdauernd ein, so schwillt die Haut an den Grenzen der „beschriebenen kranken stellen merklich an, erhällt anfangs ein blas„ses, ödematöses, späterhin ein blaugrünlichtes Ansehen, und dann „fangen die Schaafe an, sich mit Wohlbehagen zu reiben, und we„nige Tage hierauf *kommen Milben auf der missfarbigen nässenden* „*Stelle zum Vorschein.*"

vatur, saltem non secus naturae convenienter explicare licet scabies epidemicas observatas, et modum, quo tam vehementer et exinopinato in exercitibus, carceribus, ergasteriis, noscomiis aliisque hospitiis immundis erumpat.

11. Exanthema psoricum, annuentibus ipsis hujus theoriae defensoribus acerrimis, absque Acaris persistere potest. — GRAS enim notat, post usum unguenti sulphurati omnes Acaros quidem emori, attamen scabiem nondum sanari, sed exanthema perdurare, nisi apte curetur. Haec observatio autem ex diametro contraria est observationi KÖHLERI allatae, secundum quam sanatio sequeretur, ablatis Acaris. Quodsi itaque exanthema scabiosum, necatis Acaris persistere posset, hi nequaquan pro causa scabiei salutandi sunt; cessante enim causa, cesset etiam effectus.

Ex hisce omnibus ergo de causa scabiei propositis concludit Doct. RITTER: Scabiem esse morbum exanthematicum chronicum, contagiosum, fixo contagio productum, quod primum epidermidem occupat et afficit, ita ut dissolvatur in statum suum elementarem et sic ad typum suum primitivum retrogrediatur, quo sua stadia percurrente, in illo efflorescentiae, aeque ac pollen in plantis, secundaria ratione

Acari exoriuntur generatione aequivoca, qui Acari etsi nequaquam sint causa scabiei, tamen tanquam vehicula viva contagii propagationi favere possunt, cum virus contagiosum liquori vesicularum scabiei, in quibus Acari nascuntur, insita sit.

Haec sunt argumenta, quae Doct. RITTER opposuit contra aetiologiam scabiei expositam, nec certe vilipendenda, etsi omnia non ejusdem sint ponderis aut contradictione majora. Ipsius enim opinio de mutatione, quam cutis scabie affecta subiret, mera mihi videtur hypothesis et forsan minus probabilis. Dubitari quippe omnino potest, talem mutationem cutis consistere in cutis retrogressione et dissolutione ad statum suum primitivum embrijoni proprium, cum potius sit conditio morbosa activa quam passiva. Generatio quoque aequivoca, qua cardo totius suae argumentationis nititur, non nisi est hypothesis obscura et incerta, quae toties defensa et rejecta, recentioribus observationibus Celeb. EHRENBERG magis infirmata quam confirmata est. Hic subtilioribus suis inquisitionibus demonstravit, animalcula infusoria non solum organis esse instructa digestionis, sed etiam generationis satis conformatis, nec in liquidis oriri, in quibus illorum ovula non latere, aut pervenire possunt, opinionem itaque de illorum for-

matione sine ovulis modo esse exortam, quia non perspectum habebant, ovula obvia esse posse, et talium animalculorum species innumeras esse existimabant.

Quidquid sit, ne plura animadvertam, argumentis ab utraque parte pensitatis, quaestio mihi nondum eo rediisse videtur, ut satis certe solvi queat. Nec praeterea meum esset, tantas componere lites, qui potius modo historiam hujus quaestionis praebere mecum constitui et qualitercunque absolvere conatus sum. Experientia ulterior, in primis experimenta iteranda de insitione Acarorum et materiae scabiosae potissimum hic lucem adferre possint; qua in re vero cautissime versandum erit, cum diagnosis scabiei verae a spuria adeo sit difficilis. Singularis utique est et manebit morbus, ab exanthematibus aliis chronicis, origine, decursu et medicatione tantopere diversus, ut amplius Medicorum sedula mereatur attentione et longe absit, quin suam naturam probe perspectam habeamus.

TANTUM.

ERRATUM.

Pag. 4 in media nota legitur: *istius operis*, lege: *operis: Prakt. Darstell. der Hautkrankh.; nach Dr.* WILLAN.

THESES.

I.

Scabiei causa nondum mihi satis evicta esse videtur, non obstantibus tam veterum quam recentiorum experimentis et observationibus de Acaris sive Sarcoptibus in Scabie inventis.

II.

Olei jecoris aselli efficacia in Rachitide et Scrophulosi non ab Jodino paululum in eo contento, sed potius ab hujus totius materiae animalis peculiari indole pendere mihi videtur, etsi haec actio non ita facile explicari possit.

III.

Usus remediorum oleosorum in permultis morbis tractus intestinalis, inprimis Inflammatoriis et Rheumaticis, insignis est utilitatis.

IV.

Hufelando non assentio dicenti : » Es würde eher möglich sein, ohne sonst etwas von » dem Kranken zu wissen, blos nach dem Pulse » ihn richtig zu beurtheilen und zu behandeln, als » mit der Kenntniss aller übrigen Zeichen, ohne » den Puls."

V.

Quamvis Variolarum vaccinarum inoculatio praebuerit omnia signa fausta, huc usque cognita, videtur tamen illud non semper sufficere, ut quis per reliquam vitam a contagione variolosa immunis servetur.

VI.

Recte Doct. LAND: *» In casibus dubiis nunquam licet Medico forensi concludere ad veram » mortem."*

VII.

Cum HIPPOCRATE *non convenio dicente in Aphor. 31, Sect. V: » Mulier in utero gerens, » secta vena abortet, et magis, si major fuerit » foetus."*

VIII.

Sanguinis missio in fine graviditatis multo magis debilitat, quam in priori periodo.

IX.

Si opium adhibeatur durante partu, primum venaesectio est instituenda, si parturiens sit constitutionis plethoricae.

X.

Si versio in pedes sit instituenda, illam censeo optimam methodum, qua nempe obstetricator manum introducat inter uterum et ovi membranas et illo in loco disrumpat velamenta, ubi foetus pedes sentiuntur.

XI.

Funiculi umbilicalis prolapsus semper est reponendus, nisi illud impediat foetus caput.